M. TER. VARRONIS
DE
LINGUA LATINA LIBRI
QUI SUPERSUNT
CUM
FRAGMENTIS EJUSDEM
ACCEDUNT NOTÆ
ANTONII AUGUSTINI, ADRIANI TURNEBI,
JOSEPHI SCALIGERI, ET AUSONII POPMÆ



EDITIO ACCURATA

BIPONTI
Ex Typographia Societatis
CIↃIↃCCLXXXVIII

M. TERENTII VARRONIS

DE

LINGUA LATINA

LIBRI

QUI SUPERSUNT

M. TERENTII VARRONIS
VITA
PER AUSONIUM POPMAM.

M. Terentius Varro natus est L. Cæcilio Metello, Q. Mucio Scævola Coss. anno ab Urbe condita DCXXXVI. *De parentibus autem ejus nihil usquam exstat; etsi in Romanis monumentis percelebris sit ac vetusta Terentia gens plebeja: in qua is, qui primus Varro est appellatus, quod in Illyrico hostem Varronem nomine rapuerat, & ad suos pertulerat, id cognomen ex insigni facto meruit. Præceptorem habuit in literis L. Ælium Stilonem, equitem Rom. cumprimis honestum, multique ac varii & in doctrina & in rep. usus: in philosophia Athenis operam dedit Antiocho Ascalonitæ, veteris Academiæ nobilissimo & doctissimo philosopho; quem M. Cicero etiam audivit. Uterque, opinor, eo tempore, quo L. Sulla urbem armis oppressam tenebat, neque sub tam impotenti victore libere vivendi facultas dabatur. Romam deinde reversus, cum aliquamdiu in foro se reip. probasset, mox & ad honores provectus est, & multorum præstantium civium amicitia floruit. In his fuerunt Cn. Pompejus, C. Cæ-*

ſar, M. Cicero, T. Pomponius Atticus, M. Marcellus, Ser. Sulpicius, C. Fundanius, cujus filiam Fundaniam uxorem habuit, Appius Claudius, Turannius Niger, aliique complures, quibus familiariter uſus eſt. Sed quos omnino magiſtratus geſſerit, aut quo tempore, nihil conſtat, præter quod ipſe de ſe teſtatum reliquit: Ego Triumvir vocatus a Porcio Trib. pleb. non ivi auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item Tribunus cum eſſem, vocari neminem juſſi, neque vocatum a collega, parere invitum. *Quæſtorem etiam fuiſſe, & quidem M. Bruti in Gallia provincia, nonnulli exiſtimant: propterea quod Cicero lib. XIII Epiſt. M. Terentium Varronem, Bruti Quæſtorem, ipſi commendat: in quo, meo certe judicio, magnopere falluntur. Nam Varro tunc ſeptuaginta annos natus, relictis publicis muneribus, ſe totum otio & literis tradiderat, multiſque rebus domi & militiæ geſtis clariſſimus erat: at Cicero commendat virum florentis ætatis, qui verſatus in utriſque ſubſelliis optima & fama & fide, ante commutationem reip. petitioni ſeſe dederat. Quin illud,* verſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio, ut noſti, nec ſine induſtria, *non convenit huic homini πολυγραφωτάτῳ, & qui Stoicorum diſciplinam acceptam ab Ælio, auctamque per ſeſe, pluribus & illuſtrioribus literis jam diu ante explicaverat. Omnino alius ab hoc noſtro fuit Varro iſte, quem Cicero Bruto commendat, & fortaſſis ille ipſe, qui adoptatus a M. Varrone, a quibuſdam appellatus eſt M. Terentius Varro Lucullus, ab aliis M. Licinius Lucullus M. F. Eum Cicero in libro de claris oratori-*

bus videtur juris publici & privati peritum appellare: constatque Bruti partibus adhæsisse, & post illius interitum ab M. Antonio Triumviro occisum, cum amico suo C. Volumnio: de quo Valer. Maximus lib. IV, & Vellejus lib. II, his verbis: Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. *Quin & Consulem Varronem fuisse iidem illi arbitrantur, & Ciliciam, quam ipse provinciam suam appellat, obtinuisse Proconsule. Sed neque in Fastis, neque in historiis nominatur alius M. Varro Cos. quam is, quem dixi, M. Terentius Varro Lucullus Cos. cum C. Cassio Varo, anno Urbis* DCLXXX, *qui idem biennio post suum consulatum de Thracibus & Dardanis triumphavit. Ciliciam autem Varro obtinuit extraordinario imperio, cum Græciæ classibus piratico bello præesset, a Cn. Pompejo ad id electus. Tunc ei fuit Quæstor P. Septimius, ad quem misit tres priores libros de Lingua Lat. Inter comites habuit L. Marcium præfectum fabrûm, inter apparitores quendam libertum M. Seji, quo etiam pro librario & scriba utebatur. In eam expeditionem proficiscens, cum ad fauces Adriatici maris Astam oppidum & Hydruntem pervenisset, qua in Græciam e regione Appolloniæ brevissimus est trajectus, intervallum freti intercurrentis centum millia non amplius passuum, pedestri transitu pontibus jactis continuare voluit, secundus post Pyrrhum Epiri regem, qui illud primus omnium tentaverat. Sed illum aliæ impediere curæ: hunc exspectatio navalis prælii, quod non multo*

post in angustiis Ciliciæ cum piratis fuit commissum: in quo strenuum se militem, & bonum ducem præbuit, primusque in hostium navem, vi armatus transilivit. Quo nomine a Pompejo coronam rostratam accepit, quam ante eum nemo, post eum solus M. Agrippa e Siculis, tribuente Augusto Cæsare, ad Vespasiani tempora meruit. Incidit Cæsarianum civile bellum, cum haberet annos sexaginta octo. Non est usus ætatis vacatione, sed Pompeji partes secutus, ejus Proconsulis Legatus in Hispaniam profectus est. Ibi Afranius, & Petrejus, & Varro, Legati Pompeji, officia inter se diviserunt, ut Petrejus ex Lusitania per Vectones cum omnibus copiis ad Afranium proficisceretur, Varro cum his, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tueretur. Paulo post Varro, comperto Pompejum Italiam reliquisse, cognitisque ceteris rebus, quæ fuerant in Italia gestæ, (utar verbis Cæsaris) diffidens Pompejanis partibus, amicissime de Cæsare loquebatur: Præoccupatum sese legatione ab Cn. Pompejo, teneri obstrictum fide; necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercedere; neque se ignorare, quod esset officium Legati, qui fiduciariam operam obtineret, quæ vires suæ, quæ voluntas erga Cæsarem totius provinciæ. Hæc omnibus referebat sermonibus, neque se in ullam partem movebat. Postea vero, cum Cæsarem ad Massiliam detineri cognovit, copias Petrei cum exercitu Afranii esse conjunctas, magna auxilia convenisse, magnam esse spem atque exspectationem, & cônsentire omnem citeriorem provinciam, quæque postea acciderant, de angustiis ad Ilerdam rei frumentariæ accepit, atque hæc ad eum elatius atque infla-

tius Afranius perscribebat, se quoque ad motum fortunæ movere cœpit: dilectum habuit tota provincia, legionibus completis duabus, cohortes circiter triginta alarias addidit: frumenti magnum numerum coegit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petrejoque mitteret, & naves longas X Gaditanis, ut facerent, imperavit. Complures præterea in Hispali faciendas curavit; pecuniam omnem, omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit. Eo sex cohortes præsidii causa ex provincia misit: Cajumque Gallonium equitem Rom. familiarem Domitii, qui eo procurandæ hereditatis causa venerat, missus a Domitio, oppido præfecit: arma omnia privata & publica, in domum Gallonii contulit. Ipse habuit graves in Cæsarem conciones; sæpe ex tribunali prædicavit, adversa Cæsarem prœlia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse. hæc se certis nuntiis, certis auctoribus comperisse. Quibus rebus perterritos cives Romanos ejus provinciæ, sibi ad rem publicam administrandam HS. centies nonagies, & argenti pondo XX millia, tritici modios CXX millia polliceri coegit. Quas Cæsari esse amicas civitates arbitrabatur, his graviora onera injungebat; qui verba atque orationem adversus rempub. habuissent, eorum bona in publicum addicebat, præsidiaque eo deducebat, & judicia in privatos edebat, provinciam omnem in sua & Pompeji verba jusjurandum adigebat. Cognitis his rebus, quæ sunt gestæ in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, ut se cum duabus legionibus Gades conferret, naves frumentumque omne ibi contineret: provinciam enim omnem Cæsari favere cognove-

rat. In insula frumento navibusque comparatis, bellum duci non difficile existimabat Cæsar. Etsi multis necessariisque rebus in Italiam revocabatur, tamen constituerat nullam partem belli in Hispaniis relinquere; quod magna esse Pompeji beneficia, & magnas clientelas in citeriore provincia sciebat. Itaque duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam cum Q. Cassio Trib. pleb. ipse cum equitibus sexcentis magnis itineribus progreditur, edictumque præmittit, ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet. Quo edicto tota provincia pervulgato, nulla fuit civitas, quin ad id tempus partem Senatus Cordubam mitteret; non civis Romanus paulo notior, quin ad diem conveniret: simul ipse Cordubæ conventus per se portas Varroni clausit, custodias vigiliasque in muro turribusque disposuit: cohortes duas, quæ Colonicæ appellabantur, cum eo casu venissent, tuendi oppidi causa apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonensis civitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus a Varrone præsidio, per se cohortes ejecit, portasque præclusit. Hoc vero magis properare Varro, ut cum legionibus quam primum Gades contenderet, ne itinere aut trajectu intercluderetur, tanta ac tam secunda in Cæsarem voluntate provinciæ. Progresso ei paulo longius, literæ a Gadibus redduntur, simul atque cognitum sit de edicto Cæsaris, consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quæ essent ibi in præsidio, ut Gallonium ex oppido expellerent, urbem insulamque Cæsari reservarent. Hoc inito consilio denuntiavisse Gallonio, ut sua sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si id non fecisset,

sibi consilium capturos. hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus, altera ex duabus legionibus, quæ vernacula appellabatur, ex castris Varronis, adstante & inspectante ipso, signa sustulit, seseque Hispalim recepit, atque in foro & porticibus sine maleficio consedit. Quibus rebus perterritus Varro, cum itinere converso sese Italicam venturum promisisset, certior a suis factus est, præclusas esse portas. tum vero omni interclusus itinere ad Cæsarem mittit, paratum se esse, legionem cui jusserit tradere. ille ad eum Sex. Cæsarem mittit, atque huic tradi jubet. tradita legione, Varro Cordubam ad Cæsarem venit: relatis ad eum publicis rationibus cum fide, quod penes eum erat pecuniæ, tradidit; & quod ubique haberet frumenti ac navium, ostendit. Inde properavit Romam, ibique consedit, exspectans finem belli Africani, donec nuntiatum est, Cæsarem in Italiam adventare. quo cognito, ex urbe excessit, & in villis suis delituit tantisper, dum defervesceret civilis victoriæ gratulatio, & simul de victoris animo, & exitu rerum constaret. Ita illis tempestatibus prope solus in portu fuit, fructusque doctrinæ percepit uberrimos, ut ea tractaret, quorum & usus & delectatio esset omnibus & actis, & voluptatibus anteponenda. Tandem in urbem rediit, & non modo Oppio, Balbo, Hirtio, Cæsaris amicis, sed etiam ipsi Cæsari familiarissimus fuit. Qui cum destinasset bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare, dedit illi curam comparandarum, ac digerendarum. Secutus postea, occiso Cæsare, Triumvirorum dominatus, & renovatum Sullani mali exemplum, proscriptio: quæ, ut optimos quos-

que cives, ita Varronem graviter afflixit. Nam inter proſcriptos eum retulit Antonius; ſive propter intimam familiaritatem Ciceronis, ſive ob divitias, & pretioſas poſſeſſiones, quas ille ſcelerum ſuorum mercedem quærebat. Habuit enim Varro pecuarias grandes; in Appulia oviarias, in Reatino equarias, & utrobique latiſſima paſcua, ita ut ejus greges, qui in Reatinis montibus æſtivabant, in Appulia hibernarent. Præterea villas ornatiſſimas & fructoſiſſimas, unam in Cumano, cui proxima fuit Ciceronis villa, celebris Academicarum quæſtionum libris; alteram in Tuſculano, emtam a M. Pupio Piſone, in qua mira cum voluptate ad buccinam inflatam certo tempore apri & capræ convenire ad pabulum ſpectabantur; tertiam in Pomptino. Quas omnes elegantia artificioque vincebat alia ſub oppido Caſino flumini finitima; in qua erat ornithon animi cauſa conſtitutus, qui longe ſuperabat non modo archetypon inventoris M. Lænii Strabonis, ſed etiam in Tuſculano magnum ædificium Luculli. Hanc, quamvis ſub haſta veniſſe nemo vidiſſet, per vim & injuriam involavit Antonius, diripuitque illud Muſarum ſacrarium, in quo jura populi Rom. monumenta majorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina literis mandabatur. Quo factum, ut complures libri a Varrone ſcripti, & nondum editi, tunc perirent: quod ipſe lib. primo Hebdomad. teſtatur. Sic Varro unius fundi pretio quaſi redemtus, exemtuſque numero proſcriptorum, gravi & periculoſæ reip. procellæ ſuperfuit, annum agens ſeptuageſimum quartum. Mortuo paulo poſt in Ægypto Antonio, cum ad imperii faſtigium evectus eſſet Cæſar Octa-

vianus, reliquam ætatem a republica procul habuit, & vi nulla interpellante in literis & libris omne otium tempusque consumsit. Ei rei sunt indicio tres libri Rerum rusticarum, quos octoginta annos natus confecit, & Hebdomadon libri VII, quos quadriennium post scripsit, cum ad eum diem quadringentos & nonaginta libros composuisset. Quamobrem Asinius Pollio, orator & civis clarissimus, ex tanta temporis ejus ingeniorum multitudine, hujus unius viventis posuit imaginem in bibliotheca illa, quam primus Romæ ex manubiis dedicavit: T. Pomponius Atticus, vir doctrina, fide, judicio præstans, ejusdem adhuc vivi laudationem scripsit, quam se legisse Cicero testatur. Valerius autem Maximus non minus luculento, quam vero testimonio illum ornavit: Terentius Varro, humanæ vitæ exemplo & spatio nominandus, non annis, quibus seculi tempus æquavit, quam stilo vivacior fuit. in eodem enim lectulo & spiritus ejus, & egregiorum operum cursus exstinctus est. *Decessit igitur anno ætatis octogesimo octavo, urbis autem* DCCXXIV, *C. Cæsare Octaviano V, Sex. Apulejo Coss. & fictili dolio condi voluit, Pythagorico modo, in myrti & oleæ, atque nigræ populi foliis. Reliquit plurima & doctissima ingenii sui monumenta, quæ prope omnia temporum injuria interciderunt. in quibus recensendis non est necesse longiorem orationem insumere, quoniam satis multa diximus in eo libro, quem de scriptis M. Varronis fecimus. Fuit & alius M. Terentius Varro, qui, cum in illa triumvirali proscriptione esset Trib. pleb. ipsis Triumviris minime invisus, tum veritus, ne per errorem nominis occideretur, ut paulo an-*

te Helvio Cinnæ tribuno contigerat, edito ſcripto declaravit, non ſe tribunum, ſed Varronem Lucullum proſcriptum eſſe; quod factum ut deridiculum notavit Dio Caſſius lib. XLVII, *qui ait, Varronis tribuni cum proſcripto eandem fuiſſe appellationem, uno excepto cognomine ſcilicet Luculli. Alius etiam fuit eadem ætate, ſed minor natu, P. Terentius Varro Atacinus, nobilis poeta, qui Argonautica, bellum Sequanicum & Chorographiam ſcripſit, cujus præter Grammaticos meminerunt Ovidius, Propertius, alii.*

NOTITIA LITERARIA
DE
M. TERENTIO VARRONE
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. I, lib. I, cap. VII.

Libri de lingua Latina & fragmenta.

E LIBRIS XXIV de lingua Latina perierunt tres primi, quos ad *P. Septimium* Quæstorem Varro miserat, in quibus differuit περὶ τῆς ἐτυμολογικῆς, 1. quæ contra eam dicerentur, 2. quæ pro ea, & 3. quæ de ea denique. *Exstant liber IV, V, & VI*, in quibus origines ipsas verborum Latinorum persequitur, ad *M. Tullium Ciceronem*. Tum *liber VII, VIII, & IX*, qui sunt de analogia, sed perinde, ut priores, hinc inde quibusdam hiantes lacunis. Reliqui libri universi, exceptis perpaucis fragmentis, interciderunt, in quibus analogiam ipsam Latinorum vocabulorum & anomaliam explicaverat, deinde tractaverat de syntaxi, sive quomodo vocabula inter se ratione conjuncta sententiam efferant, denique differuerat de copia verborum. Re-

ſpiciens hoc Varronis opus Vitruvius in præfat. libri IX, (ſive ut vulgo diſtinguunt IX, 3. at tractatio ipſa libri IX demum a capite quarto incipit) *Plures*, inquit, *poſt noſtram memoriam naſcentes cum Lucretio videbuntur velut coram de rerum natura diſputare: de arte vero Rhetorica cum Cicerone: multi poſterorum cum Varrone conferent ſermonem de lingua Latina.* Fragmenta ex his libris collegit *Antonius Auguſtinus*, unde leguntur etiam in editione *Vertranii Mauri*. Poſtea additis nonnullis in Varrone *Auſonii Popmæ*, Friſii, & in *Dionyſii Gothofredi* Auctoribus Latinæ linguæ. Repertum eſt etiam fragmentum Libri quarti ad calcem *Frontini* de Aquæductibus in Codice ſcripto Caſſinenſi, de quo *Jo. Bapt. Morgagnus* epiſtolam ſcripſit ad *Polenum*, quæ edita eſt in opuſculis ſcientificis & philol. Venetis T. IV.

Libri de re ruſtica.

Exſtant præterea Varronis *de re ruſtica libri III*, quos natus octoginta annos ſcripſit ad Fundaniam uxorem: de quibus vid. Notitiam literariam Vol. I rei ruſticæ Scriptorum præmiſſam p. CXIV.

Catalogus ſcriptorum Varronis, quæ interciderunt.

Jam veluti in tabella, libros hujus ſcriptoris deperditos referam, quorum non ipſos etiam titulos tempus nobis eripuit. Sequar autem præter Nonium Joſiæ Merceri, & optimas Gellii ac Grammaticorum veterum editiones, *Robertum* & *Henricum Stephanos*, qui fragmenta Satyrarum Varro-

nis congesserunt in fragmentis Poëtarum anno 1564, 8 editis pag. 305 — 364; tum *Antonium Riccobonum*, qui in fragmentis historicorum dedit quoque fragmenta scriptorum Varronis, ad calcem libri de Historia p. 219 — 401; *Ausonium* deinde *Popmam*, quem fragmenta Varronis collegisse jam dixi; denique curatorem editionis Dordracenæ, prioribus collectionibus melioris. Fuerunt itaque:

De cultu Deorum liber. S. Augustinus VII. 9 & 33 de Civ. Dei.

Rerum humanarum Antiquitates, libri XXV, & divinarum XVI, ad C. Cæsarem, de cujus utriusque operis argumento consulendus idem Augustinus VI, 3 de civitate Dei. Libros rerum divinarum Varro dicavit Cæsari Pontifici Max. Lactantius lib. I, cap. 6: *Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum Divinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit, cum de Quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ.*

De vita Populi Rom. ad Atticum *libri*, quorum *undecimum* laudat Nonius in *paupertates.* Hos libros Janus Gebhardus II, 19 antiquar. Lect. testatur in Codice Palatino Nonii Marcelli semper citari *de vita Patrum:* iis namque libris vitam majorum exsecutus erat Varro, ut ostenderet, quantum sua tempora a frugalitate veterum descivissent.

De gente Populi Rom. libri IV. Arnob. & alii.

De initiis urbis Romæ liber. Quinctil.

De Republica libri, quorum *vicesimum* Nonius allegat.

Αἴτια, five *Caufæ* (quales apud Græcos fcripfere Callimachus, Butas, Plutarchus) Serv.

De Philofophia liber. Auguftin. XII, 4, & XIX, 1 de civitate Dei. *Liber fecundus de forma Philofophiæ.* Charif.

Libri difciplinarum ad M. Cœlium Rufum, in quibus unum de architectura fuiffe, teftis eft Vitruvius præf. libri VII. Ex his *librum de Arithmetica* adhuc fuperftitem fe vidiffe Romæ apud Laurentium Strozzium Cardinalem teftatus eft Vertranius Maurus in Varronis vita. Varronem de numeris allegat Cenforinus cap. 2.

Hebdomadum five *de imaginibus libri*, quorum ex *undecimo* profert nonnihil Charifius. In hujus operis libris fingulis, ni fallor, feptem virorum illuftrium imagines ftilo perfecutus erat Varro. Imagines 700 fuiffe teftis Plinius XXXV, 2. Confer Voffium lib. I, cap. 12 de Hiftoricis Latin. Libros hos unde *hebdomadum* titulo infcripferit Varro, docet Samuel Petitus lib. IV eclog. chronolog. pag. 204 fic: Decem apud Athenienfes forte legebantur viri, e fingulis unus tribubus, penes quos effet imperium ἐφημερίας tribuum fuarum intra unam Prytaniam. Diftribuebatur autem Prytania in *hebdomadas* quinque (*Hebdomadas* has obfervatas fuiffe ab Athenienfibus teftis eft A. Gellius XV, 2 his verbis: *In conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus* Lunæ *folemne nobis fuit.* Lunæ, id eft, κατὰ Σελήνην, ut loquitur Thucydides, five τῆς πρυτανείας *hebdomadas* intelligitur.) Singulos autem dies imperabat forte captus Ἐπιστάτης, & ita deinceps

reliqui, donec *hebdomadis* orbis abſolveretur; atque ita fiebat, ut e decem tres ſupereſſent, qui non imperarent. Ulpianus in Androtianam: *ἀλλ' ἐπειδὴ πάλιν οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἑπτὰ, ὁμοίως δὲ ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρου ἦρχε τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ἄχρις οὗ πληρωθῶσιν αἱ ἑπτὰ ἡμέραι. καὶ συνέβαινε τοῖς ἄρχουσι, τρεῖς μὴ ἄρχειν. ἕκαστος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καλεῖται Ἐπιστάτης.* Hinc explicandus eſt titulus libri Varroniani. Nam ita inſcriptus eſt, qui continebat imagines clarorum virorum [1], ſimulque eorum elogia, ut colligitur e Lib. I Epiſtolarum Symmachi Epiſt. IV [2]: quia quemadmodum ſingulis Πρυ-

1. Opus genealogicum appellat Jac. Frid. Reimannus in Hiſtoria literaria libror. p. 44, neſcio quo auctore. Nam ſingulos claros viros virtute, rebus geſtis, vel ingenio, ſive Græcos ſive Romanos, illo opere celebraſſe potius Varro, quam familiarum aut genealogiæ rationem habuiſſe videtur. Sic libro primo de imaginibus Homerum poſuerat, teſte Gellio lib. 3, cap. 11. In alio Demetrium, teſte Nonio in *luces*, in aliis alios. Ejuſdem tamen Varronis fuit de familiis Trojanis liber, & de gradibus neceſſitudinum.

2. Primus hanc Symmachi Epiſt. produxit & illuſtravit Lud. Carrio lib. 2 emendatt. cap. 14, quem vide. Symmachi ad Patrem ſcribentis verba ſunt: *Studium quidem Menippei Varronis imitaris, ſed vincis ingenium. Nam quæ in noſtrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis prænitere, quod hæc æque ſobria, nec tamen caſta ſunt. Illa bono metallo cauſa torno exigi neſcierunt: & duriorem materiam, niſi fallor, anniteris. Ille Pythagoram, qui animas in æternitatem primus aſſeruit; ille Platonem, qui Deos eſſe perſuaſit; ille Ariſtotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit; ille pauperem Curium, ſed divitibus imperantem; ille ſeveros Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem Senatum parca laude perſtrinxit. Tu ruinam proximæ ætatis illuminas.*

ταγείας hebdomadibus regnabant *οἱ Ἐπιστάται* vicem & *ἐφημερίαν* ſuam; ita & in his Varronis *hebdomadibus* aſſignatus erat cuique clarorum virorum quaſi regni dies in ſua ipſius imagine & elogio. Hactenus Sam. Petitus.

De proprietate ſcriptorum. Nonius, in *liquidum.*

Theatrales ſive *de actionibus ſcenicis libri*, quorum *tertium* memorat Priſcianus, *quintum* Chariſius.

De ſcenicis originibus libri, quorum *tertium* Nonius & Chariſius laudant. Librum primum laudat Cenſorinus cap. 17.

De Poëtis libri, quorum *primus* a Gellio citatur & Priſciano. Confer Jonſium p. 214 de ſcriptoribus Hiſt. Philoſophicæ.

Libri de poëmatis, quorum *ſecundus* allegatur a Chariſio. *Poëticum* Varronis librum laudat Diomedes.

De Plautinis Comœdiis liber. Gell. III, 3.

Libri de Plautinis quæſtionibus, quorum *ſecundum* allegat Nonius.

Epiſtolicarum quæſtionum libri, quorum *octavus* a Chariſio citatur. Epiſtolicarum quæſtionum libros laudat etiam Servius in 1 Georgic.

Epiſtolæ, ad C. Cæſarem, Fabium, M. Sulpicium Fuſium, Neronem, Marullium, Ser. Sulpicium, Varronem, Oppianum &c.

De Bibliothecis librum ſecundum citat Chariſius.

Liber de Vita ſua, id.

Complexionum librum ſextum citat Diomedes.

Ad Libonem librum I memorat Macrobius II, 14 Saturn.

Libros Navales laudant Jo. Sarisberienſis II, 1 Policratici, & Vegetius, qui pleraque ex illis tranſtulit in librum ultimum ſuum de re militari, & nominatim eos laudat lib. V, cap. 11. His videntur reſpondere *litoralia* Varronis, citata a Solino cap. 11; Servio *de ora maritima.* Vide Salmaſ. p. 172 edit. Pariſ. *Tubero Varronis, de origine humana* laudatur a Cenſorino cap. 9; & falluntur, qui *de origine Romana* legunt.

Annales libri, quorum *tertium* Chariſius commemorat.

Belli Punici ſecundi librum *ſecundum* citat Priſcianus.

Liber de familiis Trojanis. Servius etiam *de gradibus* neceſſitudinum ſcripſiſſe Varronem teſtatur.

Rhetoricorum libri, quorum *viceſimum* Nonius laudat.

Περὶ χαρακτήρων librum *tertium*, Chariſius.

Libri de lingua latina ad Marcellum, quorum ſeptimus laudatur a Rufino de metris Terentianis: & *libri de ſimilitudine verborum*, quorum *ſecundum* citat Priſcianus, fortaſſis partes fuere *librorum XXIV de Latina lingua*, de quibus ſupra.

De utilitate ſermonis librum *quartum* allegat Chariſius.

De compoſitione Satyrarum. Nonius in *Parectati.*

TITULI LIBRORUM LOGISTORICORUM ET SATYRARUM [1] VARRONIS

quarum pleræque *Menippeæ*, h. e. profa Menippi Cynici exemplo, carminis vario genere diftincta atque expolita, fcriptæ erant, unde Varro *Menippeus* Athenæo dictus & Tertulliano, Arnobio ac Symmacho *Cynicus Romanus*. Vide Probum in Eclogam VI Virgilii, & Jofiam Mercerum pag. 207 ad Nonium.

Aborigines *περὶ ἀνθρώπων φύσεως.*

De admirandis. infra, *Gallus Fundanius.*

Agatho.

Age modo.

Ἀεὶ Διβύη vel *περὶ αἱρέσεων.*

Ajax ftramentitius.

Περὶ *αἱρέσεων*, fupra, *ἀεὶ Διβύη.*

Ἄλλος *οὗτος ἡρακλῆς.*

Ἄμμον *μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας.*

Andabatæ.

Περὶ *ἀνθρώπων φύσεως.* fupra, *Aborigines.*

Anthropopolis, *περὶ γενεθλιακῆς.*

Περὶ *ἀρχῆς.* infra, *Marcopolis.*

Περὶ *ἀρχαιρεσιῶν* infra, *Serranus.*

Περὶ *ἀρετῆς κτήσεος.* infra, *Trihodites.*

Περὶ *ἀφροδισίων.* infra, *Vinalia.*

Armorum judicium.

Περὶ *ἀῤῥενότητος.* infra, *Triphallus.*

1. De Satyris Varronis adeundus IC Cafaub. lib. 2; de Satyr. poefi c. 2.

Atticus (leg. *Articulus*) de numeris, Logiſtoricus liber.

Autumedus. infra, *Mæonius.*

Bajæ.

Bimarcus, περὶ τρόπου.

Βοῦς περὶ τάφων. infra, in ἐπιτάφιον.

Pro *Cæi* lib. II apud Nonium in Carra lege, Ἀεὶ Λιβύη. Scal.

Caprinum prælium, περὶ ἡδονῆς.

Catamitus.

Cato, ſ. ut vult Mercerus, *Catus.* vel *de liberis educandis.* Logiſtoricus.

Cave canem.

Κενοδοξία, περὶ φθόνου.

Ceria. infra, *Dolium.*

Περὶ κεραυνοῦ.

Chorographia.

Columna Herculis, περὶ δόξης.

Coſmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου.

Cras credo, hodie nihil.

Cygnus, περὶ ταφῆς.

Cynicus.

Cynodidaſcalus.

Cynorhetor.

Deſultorius, περὶ τρυφῆς.

Περὶ διαθηκῶν. infra, *Teſtamentum.*

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

Dolium, aut *Ceria.*

Περὶ δόξης. ſupra, *Columna Herculis.*

Περὶ ἐδεσμάτων.

Περὶ ἐμμονῆς. infra, *Synephebus.*

Περὶ ἐγκωμίων. infra, *Papiapapæ.*
Endymiones.
Περὶ ἐξαγωγῆς.
Ephebus, vel *Synephebus*, περὶ ἐμμονῆς.
Περὶ ἐπαρχιῶν. infra, *Flaxtabulæ.*
Ephemeris navalis.
Ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφων.
Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας.
Erratio.
Eſt modus matulæ, περὶ μέθης.
Eumenides. interdum male ſcribitur *Eudæmones.*
Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων καθηκόντων.
Περὶ εὐτελείας. ſupra, τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον.
Ἔχω σὲ, περὶ τύχης.
Ἕως ποτὲ, περὶ ὡρῶν.
Exdemetricus.
Flextabulæ, (al. *Flexibula*) περὶ ἐπαρχιῶν.
De Fortuna. infra, *Marius.*
Gallus Fundanius, de admirandis.
Περὶ γεγαμηκότων. ſupra, εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα.
Gemini.
Gerontodidaſcalus.
Gloria, vel *Inglorius*, περὶ φθόνου. ſupra, κενοδοξία.
Γνῶθι σεαυτόν.
Περὶ τρυφῆς. ſupra, *Deſultorius.*
Hecatombe, περὶ θυσιῶν.
Περὶ ἡδονῆς. ſupra, *Caprinum prœlium.*
Hercules tuam fidem.
Hercules Socraticus.
De Hiſtoria. infra, *Siſenna.*

Item Attii quod Titii.
De indigitamentis. infra, *Pranſus paratus.*
Inglorius. vide *Gloria.*
De inſania. infra, *Oreſtes.*
Ἱπποσύνη. (al. *Hippocyon.*)
Judex. infra, *Pappus.*
Laterenſis. Logiſtoricus.
Lex Mænia.
De liberis educandis. ſupra, *Cato.*
Logomachia.
Longe fugit, qui ſuos fugit.
Mæonius Autumedus.
Magnum talentum.
Manius.
Marcipor.
Marcopolis, [1] vel μαργόπολις περὶ ἀρχῆς.
De officio mariti.
Marius, de fortuna. Logiſtoricus.
Meleagri ſive *Meleager.*
Menſurales.
Meſſala, de valetudine, Logiſtoricus.
Περὶ μέθης. ſupra, *Eſt modus matulæ.*
Modius.
De Moribus, Logiſtoricus.
Mutuum muli ſcabunt, περὶ ψωρισμοῦ.
Myſtagogi.
Myſteria.
De natura rerum, Logiſtoricus.

1. Pro *Marcopoli* Hadrianus Junius VI, 9 animadverſ. legit μαργόπολις; quaſi luxurioſam civitatem dicas, Romam.

Nepos, Logiſtoricus.
Neſcis, quid veſper ſerus vehat.
De numeris, ſupra *Articulus.*
De numiſmatis. vide mox *Octogeſis.*
Octogeſis, περὶ νομισμάτων.
Oedipothyeſtes.
Ὄνος λύρας.
Oreſtes, de inſania. Logiſtoricus.
De origine humana. infra, *Tubero.*
Περὶ ὡρῶν. ſupra, ἕως ποτέ.
Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων.
Pappus vel *Judex.*
Pappus, de indigitamentis. Logiſtoricus.
Parmeno.
Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας.
Περὶ φθόνου. ſupra, Κενοδοξία & *Gloria.*
Περὶ φιλαργυρίας. ſupra, Ἄμμον μετρεῖς.
Περὶ φιλονεικίας. infra, *Væ victis.*
Περὶ φιλοφθονίας. infra, *Teſtamentum.*
Περὶ φθορᾶς κόσμου. ſupra, *Coſmotoryne.*
Pius, de pace. Logiſtoricus.
Plutorine.
Περὶ πλούτου. niſi leg. Περίπλου 1 & 2. περὶ φιλοσοφίας ap. Nonium.
Polyandrion.
Prætoriana.
Pranſus paratus, de indigitamentis.
Prometheus lib. 1, 2, & lib. 15, allegatur a Nonio in *evireſcat.*
Prometheus liberatus.
Pſeudonea.

Pseudolus Apollo, περὶ θεῶν ἀπαντήσεως.

Περὶ ορισμοῦ. supra, *Mutuum muli scabunt.*

Quinquatrus.

Salaria.

Sardi venales.

Scaurus, Logistoricus liber.

Sciamachia, περὶ τύφου.

De Sectis; ex Nonio, & Prisciano.

Sera parecte.

Serranus, περὶ ἀρχαιρεσιῶν.

Sesquiulysses.

Sexagesis.

Sisenna de Historia. Logistoricus.

Synistor.

Synephebus, περὶ ἐμμονῆς.

Tanaquil.

Ταφὴ Μενίππου.

Περὶ ταφῆς. supra, *Cygnus.*

Testamentum, περὶ διαθήκων, περὶ φιλοφθονίας.

Περὶ θεῶν ἀπαντήσεως. supra, *Pseudolus Apollo.*

Tithonus, περὶ γήρως.

Tricipitina.

Trihodites, *Tripylius*, περὶ ἀρετῆς κτήσεως (al. καὶ φύσεως.)

Tripallus sive *Triphallus*, περὶ ἀῤῥενότητος.

Tubero, sive *de origine humana*, (al. *Romana*, male.) Logistoricus.

Περὶ τύφου. supra, σκιαμαχία.

Περὶ θυσιῶν. supra, *Hecatombe.*

Περὶ τύχης, supra, Ἔχω σέ.

Væ victis, περὶ φιλονεικίας.

De Valetudine. ſupra, *Meſſala.*

Vinalia, περὶ ἀφροδισίων.

Virgula divina.

Ὑδροκρύων. ſive ut clariſſimus Falſterus ad Gellii XIX, 30 legit, ὑδροκύων.

Caſp. Barthius XV, 19 Adverſar. in MSto Codice, neſcio quo, ait ſe has reperiſſe Varronis ſententias:

M. Varro dixit: Ficte referas gratias invite dante. Vix datum, ne beneficium putes, ſed prædam. Semel dedit, qui rogatus; bis, qui non.

Extorquere eſt plus, quam ſemel rogare.

Turpiſſimum eſt in mendaciis confidere. Pulcherrimum eſt fœnore datam gratiam reddere.

Vis experiri amicum? calamitoſus fias.

Non refert quis, ſed quid dicam.

Nemo ſuum putet, quod extra ipſum eſt.

Excellentiſſimum eſt docendi genus exemplorum ſubditio.

Studia tantum intermittantur, ne obmittantur. Gaudent varietate Muſæ, non otio.

Nil magnificum docebit, qui a ſe nihil dedicit.

Non eſſemus pauperes, ſi ignorare nos pateremur quid eſſet paupertas. Optimus eſt ad ſummas divitias progreſſus, ignoſcere ſe paupertati. Non eſt miſer, niſi qui ſic ſe eſſe putat.

Nuſquam perveniet, qui quot videt, ſequitur calles.

Imperitiæ ſignum eſt, quod difficillimum eſt, exigere cito fieri.

Nulla jactura gravior eſt ſcienti, quam temporum.

Viatores non vadunt, ut eant: ſic vita non ſui cauſa ſit, ſed ut in ea præclarum aliquid fiat.

Contemnendi ſunt ineruditorum contemtus.

Si vis ad ſummum progredi, ab infimo ordire.

Multi laudem amittunt, quam ipſi de ſe dicunt.

Suetonius de illuſtribus Grammaticis c. 23 de Rhemmio Palæmone: *Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret.* Caſpar Barlæus epiſtola ad Joachimum Vicofortium: *Palemon Grammairien fort ſatirique appelloit le docte Varron le pourceau de lettres, parce qu'il ramaſſoit de toutes parts beaucoup des choſes ſans choix & ſans jugement.* Dubito, an hæc fuerit Rhemmii ſententia. Nec enim porcorum eſt colligere, ſed rimari ac tentare roſtro.

Alii Varrones.

Argonauticorum libri IV fuere alterius eodem tempore celebris *P. Terentii Varronis*, a patria, Galliæ Narbonenſis vico Atace, dicti *Atacini*, [1] ut obſervatum præter alios Gyraldo, dialogo IV de poetis pag. 202, & Voſſio lib. I de Hiſt. Latinis c. 16. Idem Atacinus *bellum Sequanicum* carmine Heroico deſcripſerat aliquot libris, quorum *ſecundus* allegatur a Priſciano lib. X, p. 877. Alii Varrones complures videantur apud Glandorpium in gentibus Ælia, Cingonia, Rubria, Terentia, Vibidia & Viſellia.

1. Varronem Atacinum agentem annum 35 ætatis Græcas literas didiciſſe, ſcribit Hieronymus, & ex eo Proſper in Chronico.

INDEX EDITIONUM M. TER. VARRONIS

AUCTIOR FABRICIANO ET HARLESIANO ET IN II ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS* 1471 — 1536.

Reviviſcere coepit Varro opera *Pomponii Læti* († Romæ 21 Maji 1497.) ſive Romæ primum, ſive Venetiis; repetitus dein Venetiis 1474, & tum Romæ 1475; poſt altus eſt ſtudio Franc. *Rhollandelli*, qui in ed. Parmenſi laudatur. Parmenſis filiæ habentur Brixienſis 1483, & Veneta duplex, altera 1483, altera 1498. In his fere junctus fuit duobus Grammaticis veteribus, Nonio Marcello & Pompejo Feſto. — An. autem 1492 cum Venetiis poſthumum *N. Perotti* († 1480) opus, quod inſcribitur *Cornu copiæ*, primum prodiiſſet cura Pyrrhi Perotti ex fratre nepotis, huic illi conjungi fere cœpere, ita ut quiſque ſuo titulo gaudens etiam ab illo disjungi poſſet. Varro autem cum Feſto, & maxime Nonio cum caſtigationibus *Mich. Bentini* vett. Codd. uſi & hoc uno labore cogniti, ab an. 1492 repetitus eſt 1498 Venetiis, & ad calcem Perottiani operis ex offic. Aldi 1499, 1513 & 1514, 1527, Mediolani 1500 & 1510, cui poſteriori etiam corrector adfuit *Jo. Bapt. Pius*, Baſileæ 1518, 1521, 1526, 1536, Pariſiis 1519, 1528 & 1530, Tuſculani 1522, & Lugduni 1535; in quibus omnibus regnavit poſt Pomponium & Rhollandellum *Mich. Bentinus*, ab Aldo 1527 denuo commendatus.

ſ. a. & l. 4. (circa annum 1472. *Venetiis*, ap. Nic. Jenſonum) *Editio* vulgo *princeps*, curante *Pomponio Læto*. P. M. Terentii Varronis libri de lingua Latina. —

Ita Cat. de la Bibl. du R. bell. Lettr. T. I, pag. 35. Harlesius vero excitans Hambergeri Z. N. T. I, pag. 414, & Laire Specimen &c. pag. 290, haud dicit Venetiis apud N. Jenson circa 1472 prodiisse. Sed Mediolani 1471 fol. prodierat *Festus*, cujus exemplum fuit in bibl. Cl. du Boze, unde suam Festi edit. Nic. Jenson Gallicus fecit Venet. 1472 fol. *Nonium Marcellum* dein an. 1471 fol. sine indice loci & typographi primum prodiisse refert Fabricius bibl. Lat. L. IV, c. IV Sect. II ed. Ernest. vol. III, p. 335; unde nescio an colligere licet, Nonium Festo conjunctum fuisse, atque sic memoria loci excidisse, qui in ed. principe Festi dicitur *Mediolanum.* Quidni & tum tertius comes fuerit Festi & Nonii Varro, quem quidem cum Eutropio & Paulo Diacono Romæ an. 1471 jam excusum fuisse docet nos vir quidam literatissimus, ut adeo Romana hæc prior jure *princeps* sit dicenda.

1474 *Venetiis*, fol. M. Terentii Varronis de lingua Latina ac verborum origine libri qui supersunt, Venetiis, per Johannem de Colonia & Joh. Manthem de Gerretzen a. CIↃCCCCLXXIV. — Vid. Maittarius Ann. typ. T. I, pag. 109, 174. & Bure bibliogr. instruct. T. I, pag. 36, qui hanc editionem uberius describit, & principem esse censet. Habet in capite epistolam Pomponii ad Platinam, (quare ex superiore ducta videtur) & ad calcem hæc leguntur: *Finis ejus, quod invenitur M. Varronis. Parce, qui legeris, si aliqua minus polita inveneris. Nam ita ex omni parte, sive seculum fecerit, sive librarius, volumen quodvis corruptum erat, ut necesse fuerit aucupari hinc inde sententias. Ideo sine robore* (rubore) *veniam dabis, & errori manum inponas. Pomponius tuus orat. vale.* Ex hac ed. aut priore descriptus fuerit Cod. MS. seculi XVI chartaceus, qui est in Bibl. Lipsiensis senatus, & eandem habet subscriptionem. Vid. Jo. Alb. Fabricii Bibl. Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius editam T. I, pag. 122. In præfatione Pomponius de sua ed. ait: *Eos* (Varronis libros) — *legi summa cura ac diligentia. Ubi librarii literas mutaverant, correxi: in his, quae inscitia penitus corrupit, non ausus sum manum imponere: ne forte magis depravarem.*

1475 *Romæ*, fol. M. T. Varro de lingua Latina, edente Pomponio Læto: Nonius Marcellus de proprietate ſermonis, & Pompejus Feſtus de collectaneis priſcorum verborum. — Vid. Laire Specim. &c. pag. 227. & cl. Harleſii Introduct. &c. P. II, pag. 170.

1480 *Parmæ*, fol. cum Nonio & Feſto, curante Pomponio Læto. In fine Varronis legitur: *Si quiſpiam tertio loco fragmentis Varronis tantum addiderit, quantum Pomponius primo: deinde Franciſcus Rhollandellus ſecundo ſuo uterque ſtudio ac diligentia contulit, nimirum M. Varro reviviſcet. Impreſſum Parmæ* CIↃCCCCLXXX, *tertio Idus Decembris.* — Inſunt Varronis tres libri ad Ciceronem de L. L. tunc ſequitur M. Ter. Varronis Analogiæ liber primus, quæ dicantur, cur non ſit Analogia, dein Analogiæ liber quintus, ab aliis inſcriptus, primus & ſecundus lib. qui in aliis exemplis interdum conficiunt tres libros de Analogia, & ab aliis habentur libri VII, VIII & IX de lingua Latina. Vid. Gœtzii Mem. Bibl. Dreſd. Vol. I, pag. 459, & Harleſium l. l. T. I, pag. 51.

Eodem anno ibidem fol. Nonius Marcellus & Feſtus Pompejus emendati prodiere.

1483 *Brixiæ*, fol. Grammatici veteres latini, Nonius, Feſtus. Varro de L. L. Incipit epiſtola Pomponii ad Platinam, quam excipit Index per ordinem literarum. Hunc ſequitur M. Ter. Varronis de lingua Latina. In calce adhæret eadem ſubſcriptio, quam offert ed. Parmenſis a. 1480, additis his: *Impreſſum Brixiæ per Boninum de boniniis de Raguſia & Miniatum Delſera florentinum ſocios anno chriſti M. CCCC. LXXXIII. die XVI Jun.* — Videtur repetitio ed. Parmenſis. Vid. Gœtzii Mem. Bibl. Dreſd. Vol. I, pag. 459. Exemplum ejus ſervat etiam Bibl. academica Erlangenſis, teſte Harleſio; fuitque in bibl. J. Aug. Erneſti, Lipſ. 1782 publice divendita p. 170 n. 2537.

——— *Venetiis*, fol. cum Nonio & Feſto. In fine: *Impreſſum Venetiis per octavianum ſcotum Modœtienſem. MCCCCLXXXIII quarto nonas ſeptembris.* Repetita, ut videtur, ex Brixienſi. vid. Catalogue raiſonné de la Collection de livres de Pierre Antoine Crevenna. T. III, pag. 24 ſq.

1492 *Venetiis*, fol. cum Nonio & Feſto & *Bentini* ad Var-

ronem & Nonium caſtigationibus ad calcem Cornu copiae *Nic. Perotti* († 1480); quod hoc anno primum edi cœpit a *Pyrrho Perotto*, nepote illius ex fratre; cf. infra ad Venetam Aldi 1527, quæ ex Harleſio mutuamur; & Fabricii Bibl. med. & inf. latin. Vol. V ſub voce *Nicolaus Perottus* p. 376. Cornu copiæ iſtud repetitum eſt Venetiis an. 1494 & 1496; cf. Fabricius l. c. neſcimus an cum iiſdem auctt.

1498 *Venetiis*, fol. Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus, Varro. — In fine: *Impreſſum Venetiis per magiſtrum Antonium de Guſago Brixienſem. Anno domini* CIↃCCCCLXXXXVIII, *die* XII *Februarii.* — Rariſſima hæc ed. exſtat in Bibl. civica Ratisbonenſi; vid. Car. Theod. Gemeiners Nachrichten &c. pag. 258, n. 254. Memoratur etiam in Bibl. Bodlej. T. II, pag. 622. Nullam habet præfationem: unde incertum eſt, quis eam curaverit.

1499 *Venetiis*, fol. in *Nic. Perotti* Cornu copiæ ſ. linguæ Latinæ Commentariis &c. Venetiis, *in ædibus Aldi*, *menſe Julio* 1499. vid. Catalogue raiſonné de la Collection de livres de P. A. Crevenna T. III, pag. 27.

1500 *Mediolani*, fol. Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus, *Varro.* Exſtabat in Biblioth. J. P. de Ludewig, teſte Catalogo P. IV, n. 12011. cum Eraſmi autographo in margine. Sed eodem anno ibid. Perotti Cornu copiae prodiit. cf. Fabricius Bibl. med. & inf. lat. l. c.

1504 *Veneta*, fol. Perotti.

1510 *Mediolani*, fol. Nonius Marcellus. Feſtus Pompejus. *Varro.* In fine: *Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Leonardum Pachel a. dom. 1510 d. XXI April.* — Curavit hanc editionem, Maittario ignotam, *Jo. Bapt. Pius*, & ſcriptores hoſce accurate a ſe correctos eſſe dixit. Varronis libri de Analogia hic nominantur primus & ſecundus. cf. Gœtze Mem. bibl. Dreſd. Vol. I, pag. 459. vid. Harleſ. l. l. pag. 52.

1513 *Venetiis*, fol. Nic. Perotti Cornu copiæ, ſive linguæ Latinæ commentarii. Index copioſiſſimus dictionum omnium. Sypontini (Nic. Perotti) libellus, quo Plinii epiſtola ad Titum Veſpaſianum corrigitur. Cornelii Vitellii in eum ipſum libellum Sypontini Annotationes. *M. Terentii Varronis de Lingua Latina libri VI. Ejuſdem de Analogia libri tres.* Sexti Pompeji

Festi undeviginti librorum fragmenta. Nonii Marcelli Compendia. *Venetiis, in ædibus Aldi & Andreæ Soceri, 1513 mense Novembri.* vid. Catalogue raisonné &c. de P. A. Crevenna T. III, pag. 27. cf. Cat. bibl. J. Aug. Ernesti divenditae 1782. p. 170, n. 2535.

1514 *Venetiis* ap. *Aldum.* fol. min. Opera Varronis cum Festo & Nonio, Funccius de virili ætate L. L. Marburgi 1727, cap. V, § VIII, p. 311, itidem ad calcem Perotti cornu copiæ edita dicit.

1518 *Basileæ*, fol. ad calcem Cornu copiæ Perotti.

1519 *Parisiis*, fol.

1521 *Basileæ*, fol. ap. Cratandrum. M. Ter. Varro de L. L. citatur a cl. Harlesio ex Bibl. Bodlej. II, pag. 622. Sed & hoc anno Nic. Perotti Cornu copiæ ibid. prodiit, ad quod accesserunt 1) ejusdem libellus in Plinii ep. ad T. Vespas. 2) Corn. Vitellii in hunc lib. annott. 3) *M. Ter. Varronis* de L. L. Comm. 4) S. Pomp. Fest. undeviginti libr. fragm. 5) Nonii Marcelli Comm. cf. J. N. Funccii Bibl. Acad. Rintel. cl. Philol. fol. N. p. 44 sq.

1522 *Tusculani*, 4. M. Ter. Varro de L. L. de Analogia. in Catal. Bibl. Thuanae P. II, p. 223. recus. Hamburg. s. Lauenb. ubi & Pomp. Festus, & Nonius Marcellus, Perotti Cornu copiæ ibid. eod. 4 excusi memorantur.

1526 *Basileæ*, fol. Nic. Perotti Cornu copiæ s. L. L. Commentarii; *M. Terent. Varronis* de L. L. libri III, & totidem de Analogia: Sext. Pomp. Festi librorum XIX fragmenta: Non. Marcelli compendiosæ doctrinæ ad fil. aliaque. Sic est in Catal. Bibl. Ludewig. P. IV, n. 12012.

1527 *Venetiis*, fol. In hoc volumine habentur hæc: Cornu copiæ sive L. L. Commentarii diligentissime recogniti, atque ex archetypo emendati. Index copiosissimus dictionum omnium, quæ in hisce Sypontini commentariis, libris de L. L. & de Analogia M. Ter. Varronis: undeviginti librorum fragmentis Sex. Pompeji Festi: in compendiis Nonii Marcelli de proprietate sermonum continentur: sic enim hoc indice omnia comprehensa sunt, ut, quæcunque quærantur dictiones, historiæ, fabulae, instituta, inventores rerum, mores, proverbia, remedia

morborum inveniri facillime poſſint. Quin etiam ad ſtudioſorum uſum ſingulæ columnæ arithmeticis numeris diſtinctæ, ut, ubicunque C inveneris, columnam ſignare intelligas: ubi reliquos numeros, verſus. Græcas etiam dictiones longe plurimas hoc elencho collegimus. — Ejuſdem Sypontini libellus, quo Plynii epiſtola ad Titum Veſpaſianum corrigitur. — Cornelii Vitellii in eum ipſum Sypontini libellum annotationes. — M. Terentii Varronis de L. L. libri tres. Quartus, quintus, ſextus. — Ejuſdem de Analogia libri tres. — Sexti Pompeji Feſti undeviginti librorum fragmenta. — Nonii Marcelli Compendia, in quibus tertia fere pars addita eſt; non ante impreſſa, idque labore & diligentia *Jucundi* noſtri Veronenſis: qui in Gallia Nonium cum antiquis contulit exemplaribus. Addita præter ea eſt longa diſſertatio de generibus. Huc acceſſunt caſtigationes in hunc ipſum Nonium non contemnendæ, obiterque in Varronem & Feſtum ex veterum codicum fide Michaelis Bentini opera. In fine: *Venetiis in ædibus Aldi & Andreæ Aſulani ſoceri, menſe Martio MDXXVII.* — Aldus Manutius huic editioni præfatus, inter alia, *Habes*, inquit, *nunc lector amice diligenter, ac miro ordine typis noſtris excuſum Perotti Sypontini Pontificis cornu copiæ, in quo ſi quid vel a nobis, vel ab ipſo auctore erratum fuerit, ignoſcendum eſt nobis, ob eas ipſas, quas ſupradiximus, rationes: auctori, quia non ipſe, ſed Pyrrhus ex fratre nepos hunc librum ediderit. Morte enim præventus recognoſcere non potuit has ſuas perdoctas & laborioſas lucubrationes. — quare & ipſe de ſuis hiſce Latinæ linguæ commentariis jure dicere moriens potuiſſet: Emendaturus, ſi licuiſſet*, &c. Hanc Aldi præfationem excipit Pyrrhi Perotti in Cornu copiæ ſive commentarios L. L. ad illuſtrem Principem Federicum ducem & eccleſiaſtici exercitus imperatorem invictiſſimum, Procemium. vid. Harleſ. l. l. pag. 49 ſq.

1528 *Pariſiis*, 8. cum *Bentini* caſtigatt.

1529 *Pariſiis*, 8. apud Sim. Colinæum, ex caſtigatione *Mich. Bentini.*

1530 *Pariſiis*, 8. M. Ter. Varronis de lingua Latina libri tres, & totidem de Analogia; adjectis caſtigationi-

bus *Mich. Bentini*: acceſſit M. Porcii Catonis originum liber unus. Pariſiis, in coll. Sorbonæ. — Memoratur Hambergero in zuverlæſſigen Nachrichten &c. T. I, pag. 415 ex Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I, pag. 35.

1535 *Lugduni*, 8. Varronis libri cum *Bentini* caſtigg. adjunctis Pſeudo-Catonis Originibus.

1536 *Baſileæ*, 8. M. Ter. Varronis de L. L. libri III, totidemque de Analogia c. Mich. *Bentini* caſtigatt.

——— *ibid.* per Jo. Walderum, fol. Nic. Perotti cornu copiæ L. L. ſeu Commentarius in Martialem. accedunt Terentius Varro de L. L. Pompejus Feſtus & Nonius Marcellus. Per Jo. Walderum.

ÆTAS II *CRITICA* 1557 — 1601 — 1619 — 1772.

Cujus princeps eſt Antonius *Auguſtinus* Ictus, idemque ſoſpes Varronis, in editione Romana 1557. Excepere eum *Vertranius Maurus*, Gryphianæ 1563 curator, & Joſephus *Scaliger*, Auguſtini lectionem ſecutus, & annotationum, quibus Pariſina Rob. Stephani 1565 præſtat, ſcriptor. Anno poſt *Adriani Turnebi* emendd. & comm. prodiere poſthumi; hinc Henr. *Stephanus* curas Auguſtini, Turnebi, Scaligeri, Appendice auctas in edd. Operum Varronis I & II an. 1569 & 1573, & III, 1581, iterum 1585 Pariſiis recuſa; ipſe quoque Henr. Stephanus 1591 Appendicem ad aſſertiones analogiæ ſermonis Lat. M. T. Varronis edidit. Fragmenta ejuſdem collegerunt 1564 R. & H. *Stephani*, inprimis Satyrarum Auſonius Popma 1589; Fragm. hiſtorica, quæ ſecutus eſt Livius, 1568 Ant. *Riccobonus*, repetita 1579 Baſileæ. Novam poſt illos Varronis curatores operam ei adhibuere *Dion. Gothofredus* in collectione Auctorum Lat. Linguæ edita Genevæ 1595, repetita 1602 & 1622, *Auſonius Popma*, qui Plantino-Raphelengianam 1601 recenſuit, notiſque ſuis & conjectaneis ditavit, & Caſp. *Scioppius*, ed. Varronis Ingolſtadinæ 1605 curator. Præſtantior eſt Dordracena operum 1619 quæ reddit Steph. III cum fragmentis, & Amſtelodami 1623 repetita. Ab eo tempore nemo curam impendit Varroni, uſque ad an. 1772, quo in

Ant. Auguſtini Opp. Luccæ editis repetita eſt ejus editio Varronis de L. L. Quid ex hac ſtudii Varroniani intermiſſione colligi poſſit, noſtrum non eſt dicere; ſed certe hoc gratior ſit opera noſtra, quam in Varrone noſtro quam curatiſſime edendo poſuimus.

1557 *Romæ*, 8. M. Ter. Varronis pars librorum quatuor & viginti de lingua Latina. Ex bibliotheca *Antonii Auguſtini.* Romæ, apud Vincentium Luchinum. cum Indicibus. — Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, ab Adr. Turnebo lib. XXIII Adverſariorum cap. 17 dicitur Varronis vindex, aſſertor, patronuſque unicus, immo vero ejus potius Æſculapius. Ex antiquis codicibus, præcipue ex Achillis Maffei libro, atque ex conjecturis virorum doctorum, quorum nomina pag. 1 ponit, & in contextu & in notis lucem accendit permultis locis dubiis obſcuriſque. Rarum hoc exemplar copioſius deſcribit Freytag in Apparatu lit. T. III, pag. 48 ſq. paucis indicat Bure in Bibl. inſtr. I, pag. 38. vid. Harleſium l. l. P. II, pag. 172.

1563 *Lugduni*, Gryphiana 8. M. Ter. Varronis pars librorum quatuor & viginti de lingua Latina. *M. Vertranius Maurus* recenſuit. Additis Indicibus fidiſſimis & ampliſſimis. Lugduni, apud heredes Seb. Gryphii. — Maurus ICtus Galliæ doctus, in epiſtola ad Penam dedicatoria, ſe profitetur Varronem ad codices MStos Florentinos & Romanos contuliſſe, cum Italiam peragraret. Notæ ejus laudantur. vid. Freytag l. m. pag. 49 ſq. Exemplum hujus ed. cum multis emendd. & rarioribus notis MSS. Lucæ Fruterii Brugenſis ſuum habuiſſe teſtatur Th. Crenius in animadv. philol. & hiſt. P. III, c. I, § III, p. 11 ſq.

——— ibid. *Marci Vertranii Mauri* libellus de Vita Varronis. Deque notis ad ejus libros de L. L.

1564 8. Fragmenta Varronis collecta a Roberto & Henrico Stephanis, exſtant in Fragmentis poetarum, p. 305 - 364.

1565 *Pariſiis* ap. Rob. Stephanum, 8. M. Ter. Varro de L. L. cum *Joſ. Scaligeri* conjectaneis. — Præclara ſunt Scaligeri in Varronem conjectanea: in quibus eum in originibus verborum frequenter falli obſervat vir doctiſſimus. Parum autem credibile vide-

tur & iniquum, quod Latinius Tom. II Epist. pag. 121: *Vidi Josephi Scaligeri in M. Varronem de lingua Latina annotationum libellum, quas, ut prudenter Pater Octavius existimat, Julius Cæsar pater adornarat, & fortasse non dignas suo nomine judicarat.* Hæc editio ter repetita est cum libris Varronis de R. R. Discernuntur etiam hac nota, quod in prima versus, Trabeæ nomine Scaligero missi a Mureto, struente insidias viri ingenio, pro genuinis, i. e. ipsius Trabeæ, afferuntur & laudantur: dein omissi sunt, fraude cognita. Fraudem quidem illam quomodo ultus sit, satis constat, suntque noti versiculi, qui etiam ap. Erythræum in Pinacoth. reperiuntur.

1566 *Paris.* ap. Buon. 8. *Adriani Turnebi* Emendd. & Commentarii in libros M. Ter. Varronis de L. L. posthumi editi sunt a filio Odone Turnebo. cf. Catal. bibl. Thuanæ.

—— *Francof.* ap. Christi. Wechelum. 8. cum Adr. Turnebi emendd. & comm. postumis; cf. Funccius de virili ætate L. L. cap. V, § VIII, p. 312.

1568 *Venetiis*, 8. Varronis fragmenta historica, quæ secutus est Livius, collegit Antonius Riccobonus ad calcem libri de historia.

1569 f. n. l. H. Stephani I, 8. M. Ter. Varronis opera, quæ supersunt. In lib. de L. L. conjectanea *Josephi Scaligeri* recognita & appendice aucta. In libros de R. R. notæ ejusdem Jos. Scal. non antea editæ. His adjuncti fuerunt *Adr. Turnebi* comment. in lib. de L. L. cum emendationibus *Ant. Augustini.* item P. Victorii castigationes in lib. de R. R. Excud. Henr. Stephanus.

1573 f. l. H. Stephani II, 8. inter Varronis opera ab Henr. *Stephano* excusa, cum notis Scaligeri, Turnebi, & Ant. Augustini.

1579 *Basileæ*, 8. Varronis fragmenta historica.

1581 *Paris.* ap. H. Stephan. III, 8. M. Ter. Varronis opera quæ supersunt. In lib. de ling. Lat. conjectanea *Josephi Scaligeri.* In lib. de R. R. notæ ejusdem. Alia in eundem scriptorem, trium aliorum, Turnebi, Victorii, Augustini. Editio tertia, recognita & aucta. — Textus ex Romana (Augustini) expressus est, ut typographus profitetur.

1585 *Parif.* 8. Eadem recufa. v. Cat. bibl. Schwarzianæ Altorfii. P. I, p. 114.

—— *Genevæ*, 4. D. Gothofredi I. Auctores Linguæ Latinæ in unum redacti corpus. Cum mendum in anno fubeffe vereamur, vide potius ad an. 1595.

1589 f. 1590 *Franeckeræ*, 8. M. Ter. Varronis Satyrarum Menippearum, logiftoricorum, περιπλου φιλοσοφιας, lib. II. Promethei lib. II. de philofophia liber unus, recenfente *Aufonio Popma*, Frifio. Ejufdem Aufonii in eadem conjectanea. Franeckeræ, apud Ægidium Radæum.

1591 *Parif.* 8. *H. Stephani* Appendix ad affertiones analogiæ fermonis Latini M. Ter. Varronis. item Jul. Cæf. Scaligeri de eadem difp. doctiffima. ap. H. Steph.

1595 *Genevæ*, 4. Auctores Latinæ linguæ in unum redacti corpus. M. Ter. Varro de L. L. M. Verrii Flacci fragmenta. Fefti fragmenta a Fulvio Urfino edita. Schedæ Fefti a Pomp. Læto relictæ. Sextus Pomp. Feftus, Paulo Diacono conjunctus. Nonius Marcellus. Fulgentius Placiades. Ifidori Originum libri XX. Ex veteribus grammaticis, qui de proprietate & differentiis fcripferunt, excerpta. Vetus Kalendarium Romanum. De nominibus & prænominibus Romanorum. Notæ *Dionyfii Gothofredi* J. C. ad Varronem, Feftum & Nonium. Variæ lectiones in Fulgentium & Ifidorum. Index generalis in omnes fuperiores auctores. Genevæ, apud Guil. Læmarium. vid. Harlef. l. c. P. I, pag. 54 fq.

1601 f. n. l. Lugd. Bat. 8. M. Ter. Varronis operum quæ exftant nova editio. Edente & recenfente *Aufonio Popma* Frifio. Ejufdem Aufonî in eadem notæ & conjectanea. Ex officina Plantiniana, apud Chriftoph. Raphelengium, Academiæ Lugduno-Bat. typogr.

1602 *S. Gervafii* (fuburbium olim, nunc pars Genevæ) 4. Auctores Latinæ linguæ in unum redacti corpus: quorum auctorum veterum & neotericorum Elenchum fequens pagina docebit. Adjectis notis *Dionyfii Gothofredi* J. C. una cum Indice generali in omnes auctores. S. Gervafii, apud Jac. Chouet. — Præter auctores in titulo ed. 1595 nominatos infunt varii auctores, qui de Notis fcripferunt. Tum nova acceffere huic editioni 1) Liber Gloffarum ex variis gloffariis, quæ

ſub Iſidori nomine circumferuntur, collectus. 2) Excerpta Pithœana ex veteribus gloſſis. 3) Excerpta Differentiarum Bongarſii, regii legati.

1605 *Ingolſtadii*, 8. De L. L. nova editio ex recenſione Gaſp. *Scioppii*.

1619 *Durdrechti*, 8. M. Ter. Varronis opera omnia quæ exſtant, cum notis Joſ. Scaligeri, Adr. Turnebi, Petr. Victorii & Ant. Auguſtini. His accedunt Tabulæ naufragii, ſeu fragmenta ejuſdem auctiora & meliora, additis ad ſingula loca auctorum nominibus, unde hæc petita ſunt. Durdrechti, ex officina Joannis *Berewout*. — Textus expreſſus eſt ex ed. Stephaniana 1581.

1622 *Coloniæ Allobrog.* ſeu *Genevæ*, 4. inter auctores latinæ linguæ in unum corpus redactos.

1623 *Amſtelodami*, 8. ap. Jo. Janſſon repetita eſt ed. Operum Varr. Dordracena 1619.

1628 *Francofurti ad M.* fol. Varronis fragmenta hiſtorica Livio ſubjecta.

1772 *Luccae*, fol. Auguſtini editio repetita in Operibus omnibus Ant. Auguſtini Vol. VII. Primum volumen prodiit an. 1765; VIII & ultimum an. 1774.

M. TERENTII VARRONIS

DE

LINGUA LATINA

LIBRI

QUI SUPERSUNT.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. TULLIUM CICERONEM

LIBER QUARTUS.

QUEMADMODUM vocabula essent imposita rebus in lingua Latina, sex libreis exponere institui. De heis treis ante hunc feci, quos Septimio misi: in quibus est de disciplina, quam vocant ἐτυμολογικήν. Quæ contra eam dicerentur, volumine primo: quæ pro ea, secundo: quæ de ea, tertio. In heis ad te scribam, a quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina: & ea, quæ sunt in consuetudine apud poetas. Quom uniuscujusque verbi naturæ sint duæ, a qua re & in qua re vocabulum sit impositum: itaque a qua re sit Pertinacia, cum quæritur, ostenditur esse a pertendendo; in qua re sit impositum, dicitur, cum demonstratur, in quo non debet pertendi, & pertendit, Pertinaciam esse: quod in quo oporteat manere, si in eo perstet, Perseverantia sit. Priorem illam partem, ubi, cur, & unde sint verba, scrutantur Græci: vocant ἐτυμολογίαν; illam alteram, περὶ σημαινομένων. de quibus duabus rebus in

heis libreis promiſcue dicam, ſed exilius de poſteriore. Quæ ideo ſunt obſcura, quod neque omnis impoſitio verborum exſtat, quod vetuſtas quaſdam delevit: nec quæ exſtat, ſine mendo omnis impoſita: nec quæ recte eſt impoſita, cuncta manet. multa enim verba litereis commutateis ſunt interpolata: neque omnis origo eſt noſtræ linguæ e vernaculeis verbeis: & multa verba aliud nunc oſtendunt, aliud ante ſignificabant, ut Hoſtis. nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui ſueis legibus uteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. In quo genere verborum, ut caſu erit illuſtrius, unde videri poſſit origo, inde repetam. Ita fieri oportere apparet; quod recto caſu quom dicimus Impos, obſcurius eſt eſſe a potentia, quam quom dicimus impotem: & eo obſcurius fit, ſi dicas pos, quam impos. videtur enim pos ſignificare potius pontem, quam potentem. Vetuſtas non pauca depravat, multa tollit. Quem puerum vidiſti formoſum, nunc vides deformem in ſenecta. Tertium ſeculum non videt eum hominem, quem vidit primum. Quare illa, quæ jam majoribus noſtreis ademit oblivio fugitiva, ſecuta ſedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit. Non ſi non potuero indagare, eo ero tardior; ſed velocior ideo, ſi quivero. Non mediocreis enim tenebræ in ſilva, ubi hæc captanda: neque eo, quo pervenire volumus, ſemitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere poſſent. Quoniam verborum novorum & veterum diſcordia omnis in conſuetudine communi: quot modeis literarum commutatio ſit facta, qui animadverterit,

ſcrutari facilius origines patietur verborum. Reperiet enim eſſe commutata, ut in ſuperioribus libreis oſtendi, maxime propter bis quaternas cauſas. Literarum enim fit demtione, aut additione; & propter earum arctationem, aut commutationem; item ſyllabarum productionem. Quæ quoniam in ſuperioribus libreis, cujuſmodi eſſent, exempleis ſatis demonſtravi; heic commorandum eſſe modo non putavi. Nunc ſingulorum verborum origines expediam. quorum quatuor explicandi gradus. Primus, in quo populus etiam venit. Quis enim non videt, unde ærifodinæ, & viocurrus? Secundus, quo grammatica deſcendit antiqua, quæ oſtendit, quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit, quod declinarit. Hinc Pacuvius, rudentiſibilus, hinc incurvicervicum pecus, hinc chlamyde clupeat brachium. Tertius gradus, quo philoſophia aſcendens pervenit: atque ea, quæ in conſuetudine communi eſſent, aperire cœpit, ut a quo dictum eſſet oppidum, vicus, via. Quartus, ubi eſt aditus, & initia regis: quo ſi non perveniam, ſcientiam ad opinionem aucupabor. quod etiam nonnunquam in ſalute noſtra facit, cum ægrotamus, medicus. Quod ſi ſummum gradum non attigero; tamen ſecundum non præteribo. Quod non ſolum ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis lucubravi. Nolui præterire eos, qui poetarum modo verba, ut ſint ficta, expediunt. Non enim videbatur conſentaneum quærere me eo in verbo, quod finxiſſet Ennius, cauſam: neglegere, quod ante rex Latinus finxiſſet: cum poeticeis multeis verbeis magis dele-

ster, quam utar, antiqueis magis utar, quam delecter. An non potius mea verba illa, quæ hereditate a Romulo rege venerunt, quam quæ a poeta Livio relicta? Igitur quoniam hæc sunt tripartita verba, quæ sunt aut nostra, aut aliena, aut oblivia: de nostreis dicam, cur sint: de alienis, unde sint: de oblivieis relinquam, quorum partem cum ita invenerim, ut opinor, scribam. In hoc libro dicam de vocabuleis locorum, & quæ in heis sunt. In secundo, de temporum, & quæ in heis fiunt. In tertio, de utraque re a poeteis comprehensa.

Pythagoras Samius ait, omnium rerum initia esse bina: ut finitum & infinitum, bonum & malum, vitam & mortem, diem & noctem. Quare item duo: status & motus. quod stat, aut agitatur, corpus: ubi agitatur, locus: dum agitatur, tempus: quod est in agitatu, actio. Quadripartitio magis sic apparebit: corpus est, ut cursor: locus, stadium, qua currit: tempus, hora, qua currit: actio, cursio. Quare fit, ut omnia fere sint quadripartita, & ea æterna: quod neque unquam tempus, quin fuerit motus; (ejus enim intervallum tempus) neque motus, ubi non locus & corpus; (quod alterum est, quod movetur; alterum, ubi) neque ubi sit agitatus, non actio ibi. Igitur initiorum quadrigæ, locus, & corpus, tempus, & actio. Quare quatuor genera prima rerum, totidem verborum: [horum enim.] De heis loceis, & heis rebus, quæ in heis videntur, in hoc libro summatim ponam. Sed quæ cognatio ejus erit verbi, quæ radices egerit extra fines suas persequemur. Sæpe enim ad limitem arboris radices sub vi-

cini prodierunt ſegetes. Quare non cum de loceis dicam, ſi ab agro ad agroſum hominem & agricolam pervenero, aberraro. Multa ſocietas verborum: nec vinalia ſine vino expediri, nec curia calabra ſine calatione poteſt aperiri.

Incipiam de loceis ſub ipſius loci origine. Locus eſt, ubi quid locatum eſſe poteſt; ut nunc dicunt, conlocatum. veteres id dicere ſolitos, apparet apud Plautum, Filiam habeo grandem, caſſam dote, atque inlocabilem, neque eam queo locare cuiquam. Apud Ennium, O terra trita, ubi Liberi fanum, in cujus muro locavi. Ubi quidquam conſiſtit, locus. Ab eo præco dicitur Locare, quoad uſque id emitur, quoad in aliquo conſiſtit pretium. Inde Locarium, quod datur in ſtabulo, & taberna, ubi conſiſtant. Sic Loci muliebres, ubi naſcendi initia conſiſtunt. Loca natura, ſecundum antiquam diviſionem, prima duo, cælum & terra; deinde particulatim utriuſque multa. Cæli dicuntur loca ſupera, & ea Deorum: terræ, loca infera, & ea hominum. Ut Aſia, ſic cælum dicitur modeis duobus. Nam & Aſia, quæ non Europa, in qua eſt Syria; & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt Jonia, & provincia noſtra Cilicia. Sic cælum dicitur duobus modeis: & pars ejus ſummum, ubi ſtellæ; & id, quod Pacuvius demonſtrat, cum dicit, Hoc vide circum ſupraque, quod complexu continet terram. Cui ſubjungit, Id quod noſtri cælum memorant. A qua bipartita diviſione Lucretius ſuorum unius & viginti librorum initium fecit hoc, Ætheris & terræ genitabile quærere tempus. Cælum dictum ſcribit Ælius

Gallus, quod eſt cælatum; aut a contrario nomine, quod apertum eſt: non male, quod poſterior Ælius, multo potius cælare a cælo, quam cælum a cælando. Sed non minus illud alterum de cælando, ab eo potuit dici, quod interdiu cælatur, quam quod noctu non cælatur omnino. Ego magis puto a chao cavum: & hinc cælum: quoniam, ut dixi, Hoc circum ſupraque, quod complexu continet terram, cavum cælum. Itaque dicit Andromacha, Noctique cava cæli ſignitenentibus conficis bigeis. Et Agamemnon, In altiſono cæli clypeo. Cavum enim clypeum. Et Ennius item ad cavationem, Cæli ingentes fornices. Quare ut a cavo cavea, & cavile, & convallis, cavata vallis, & cavere cautione; ut cavum ſit ortum, unde omnia apud Heſiodum, a chao cavum cælum. Terra dicta ab eo, ut Ælius ſcribit, quod teritur. Itaque tera in augurum libreis ſcripta cum R uno. Ab eo coloneis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, Territorium; quod maxime teritur. Hinc linteum, quod teritur corpore, Termentarium: hinc in meſſe Tritura, quod tum frumentum teritur: & Trivolum, quo teritur. Hinc fines agrorum, Termini, quod hæ partes propter limitare iter maxime teruntur. Itaque terminus cum in Latio aliquot loceis dicitur, ut apud Actium, non terminus, ſed Termen. hoc Græci τέρμα. Evander enim, qui venit in Palatium e Græcia, Arcas fuit. Via quidem Iter, quod ea vehendo teritur: Actus iter in agreis, quod agendo teritur: etiam Ambitus iter, quod circumeundo teritur. nam ambitus circumitus: ab eoque duodecim tabularum interpretes, am-

bitum parietis, circumitum esse describunt. Igitur tera terra, & ab eo poetæ appellarant summa terræ, quæ sola teri possunt, Sola terræ. Terra, ut putant, eadem & Humus. ideo Ennius, In terram cadenteis, dicit, cubiteis pinsibant humum. Et quod terra sit humus, ideo Humatus, mortuus, qui terra sit obrutus: ab eo, qui Romanus combustus est, aut in sepulcrum ejus abjecta gleba non est: aut si os exceptum est mortui ad familiam expurgandam; donec in purgando, humo non est opertus, ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit, familia funesta manet, & dicitur humilior. Quæ ad humum sunt, aut a re, ut Sabini, & Lucani; aut declinata ab hominibus, ut Appulia, & Latium: utrumque, ut Etruria, & Tuscia. Qua regnum fuit Latini, universus ager dictus Latium particulatim oppideis cognominatus: ut a Præneste Prænestinus, ab Aricia Aricinus. Ut nostri augures publice dixerunt, agrorum sunt genera quinque: Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo. Gabinus, ab oppido Gabiis. Peregrinus, ager pacatus, qui extra Romanum & Gabinum; quod uno modo in heis feruntur auspicia. dictus peregrinus a pergendo, id est, progrediendo. eo enim ex agro Romano primum progrediebatur. quocirca Gabinus, sive peregrinus, secundum hos auspicia habent singularia. Ab reliquo discretus. Hosticus, dictus ab hostibus. Incertus is ager, qui de heis quatuor qui sit, ignoratur.

Ager dictus est, in quam terram quid agebant, & unde quid agebant fructus causa. id Græci di-

cunt ἀγρόν. Ut ager, quod agi poterat, ſic qua agi, actus. Ejus finis minimus conſtitutus in latitudinem pedes quatuor; fortaſſe ab eo quatuor, quod ea quadrupes agitur: in longitudinem pedes centum & viginti. in quadratum actus, & in latum, & in longum, ut eſſet centum & viginti. Multa antiqui duodenario numero finiebant: ut duodecim decuriis actum. Jugerum dictum juncteis duobus actibus quadrateis. Centuria primo a centum jugeribus dicta: poſt duplicata retinuit nomen: ut tribus multiplicatæ idem tenent nomen. Ut quo agebant, Actus; ſic qua vehebant, Viæ dictæ. quo fructus convehebant, Villæ. qua ibant, ab itu Iter appellarunt: qua anguſte, Semita ut Semiiter dictum. Ager cultus ab eo, quod ibi cum terra ſemina coaleſcebant: ab eo inconſitus, incultus. Quod primum ex agro plano fructus capiebant, Campus dictus. poſteaquam proxima ſuperiora loca colere cœperunt, a colendo colles appellarunt. Quos agros non colebant propter ſilvas, aut id genus, ubi pecus poſſit paſci, & poſſidebant; ab uſu ſuo Saltus nominarunt. Hæc etiam Græci τὰ ἄλσεα καὶ νομὰς, noſtri Nemora. Ager, quod videbatur pecudum ac pecuniæ eſſe fundamentum, Fundus dictus: aut quod fundat quotquot anneis multa. Vineta, ac vineæ, a vite multa. Vitis a vino, idque a vi. hinc Vindemia, quod eſt vini demia, aut vitis demia. Seges ab ſatu, id eſt ſemine. Semen, quod non plane id, quod inde. hinc ſeminaria, ſementes, item alia, quæ ſegetes ferunt. Fruges a fruendo; fructuſque ab ſpe ſpicæ, ubi & Culmi, quod in

ſummo campo naſcuntur, & ſummum culmen. Ubi frumenta ſecta terantur, & areſcant, Area. Propter horum ſimilitudinem loca in urbe pura, areæ. a quo poteſt etiam Ara Deûm eſſe, quod pura. Niſi potius ab ardore, ad quem ut ſit, fit ara. a quo ipſa area non abeſt: quod, qui arefacit, ardor eſt ſolis. Ager Reſtibilis, qui reſtituitur ac reſeritur quotquot anneis: contra qui intermittitur, a novando Novalis ager. Arvum & arationes ab arando: & ab eo, quod aratri vomer ſuſtollit, Sulcus: quo ea terra jacta, id eſt projecta, Porca. Prata dicta ab eo, quod ſine opere parata. Quod in agreis quotquot anneis rurſum facienda eadem, ut rurſus capias fructus, appellata Rura. (Dividit in eos agros, cum ſcribit Sulpicius, Plebei rura largitur ad aream.) Prædia dicta, item ut prædes, a præſtando: quod ea pignori data publice mancupes fidem præſtent. Ubi nunc eſt Roma, ſeptem montium demiſſior infimus locus. Infimus, humillimus, quod in mundo infima humus. Humor hinc itaque. Ideo Lucilius, Terra abiit in nimbos, himbreſque. Pacuvius, Terra exhalat auram, atque auroram humidam humectam. Hinc ager Uliginoſus, humidiſſimus: hinc Udus, uvidus. Hinc ſudor quivis deorſum in terra himber. Unde ſumi poteſt, Puteus. niſi potius quod Æoles dicebant τὸν πύθιον καὶ ποταμόν. Sic potura a potu, non ut nunc a πόσω. A puteeis oppidum Puteoli, quod ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. Niſi a putore potius; quod putidus ſit odoribus ſæpe ex ſulphure & alumine. Extra oppida a puteeis Puticulæ: quod

ibi in puteeis obruebantur homines. Nisi potius, ut Ælius scribit, puticulæ, quod putescebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Esquilias. itaque eum Afranius Puticulos in togata appellat, quod inde suspiciunt perpetuo lumen. Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest. Palus, paululum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusæ. Stagnum, quod Græce στα μνόν; quod nomen habet primum. Hinc ad villas rotunda stagna: quod rotundum facillime continet; anguli maxime laborant. Fluvius, quod fluit, item flumen: a quo lege prædiorum urbanorum scribitur: Stillicidia, fluminaque, ut ita fluant, cadantque. Inter hæc hoc interest, quod stillicidium, eo quod stillatim cadat: flumen, quod fluit continue. Amnis, id flumen est, quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circum Aternum habitant amnem, Amiternini appellati. Ab eo, qui populum candidatus circumit, ambit: qui aliter facit, ex ambitu causam dicit. Itaque Tiberis amnis, qui ambit Martium campum, & urbem. Oppidum Interamna dictum, quod inter amneis est constitutum. item Antemnæ, quod ante amnem, qui influit in Tiberim; quod in bello male acceptum consenuit. Tiberis, quod caput extra Latium, si inde nomen quoque effluit in linguam nostram, nihil Latinum: ut quod oritur e Samnio Volturnus, nihil ad Latinam linguam. at quod proximum oppidum ab eo secundum mare Volturnum, ad nos jam Latinum vocabulum, ut Tiberinus: nam & colonia nostra Volturnum, & Deus Tiberinus. Sed de Tiberis nomine anceps

eſt hiſtoria. nam & ſuum Etruria & Latium ſuum eſſe credit. Fuerunt, qui a vicino regulo Vejentum Dehebri dixerint appellatum primo Dehebrim. ſunt, qui Tiberis priſcum nomen Latinum Albulam vocitatum litereis tradunt; poſterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit; nam hoc ejus, ut tradunt, ſepulcrum.

Ut omnis natura in cælum & terram diviſa eſt, ſic cælum in regiones, terra in Aſiam & Europam. Aſia enim jacet ad meridiem, & auſtrum: Europa ad Septemtriones, & Aquilonem. Aſia dicta ab nympha, ex qua & Japeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa, Agenoris filia, quam ex Phœnicia Manlius ſcribit taurum exportaſſe; quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit. Europæ loca multæ incolunt nationes. ea fere nominata aut translatitio nomine, aut ab hominibus. Sunt & nomina ab tot montibus, quos poſtea urbs mureis comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod heic, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpejus dictus, a virgine Veſtali Tarpeja, quæ ibi ab Sabineis necata armeis, & ſepulta: ejus nominis monumentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur ſaxum. Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuiſſe Saturniam ſcribitur. Ejus veſtigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius ſcribit, quam nunc vocant Pandanam: quod

poſt ædem Saturni, in ædificiorum legibus parietes poſtici muri ſunt ſcripti. Aventinum aliquot de cauſeis dicunt. Nævius ab avibus, quod eo ſe ab Tiberi ferrent aves: alii ab rege Aventino Albano, quod ibi ſit ſepultus: alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum ſit conſtitutum. Ego maxime puto ab advectu: nam olim paludibus mons erat ab reliqueis diſclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem ſolvebant. cujus veſtigia, quod ea, qua tum itur, velabrum, & unde aſcendebant ad rumam nova via lucus eſt, & ſacellum larum, Velabrum dicitur a vehendo. Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Merces dicitur a merendo & ære. Hinc vecturæ, quas ſolvebant hi, qui ratibus tranſibant, Quadrans. ab eo Lucilius ſcripſit quadrantis ratiti. Reliqua urbis loca olim diſcreta, ut Argeorum ſacraria in ſeptem & viginti parteis urbis ſunt diſpoſita. Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturnia ſubſederunt: e queis prima eſt ſcripta regio Suburana; ſecunda, Eſquilina; tertia, Collina; quarta, Palatina. In Suburanæ regionis parte princeps eſt Cœlius mons, a Cœlio Vibenno Tuſco, duce nobili, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum regem. Hi, poſt Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuſcus; & ideo ibi Vortumnum ſtare, quod is Deus Etruriæ. Principes de Cœlianeis, qui a ſu-

ſpicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus. Cum Cœlio conjunctæ Carinæ; ſed inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primæ regionis quartum ſacrarium ſcriptum ſic eſt. Ceroliensis quarticeps circa Minervium: qua in Cœlium montem itur, in tabernola eſt. Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ: poſtea Cerionia, quod hinc oritur caput ſacræ viæ ab Streniæ ſacello, quæ pertinet in arcem, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti ſolent inaugurare. Hujus ſacræ viæ pars hæc ſola volgo nota, quæ eſt a foro eunti proximo clivo. Eidem regioni attributa Subura, quod ſub muro terreo Carinarum: in ea eſt Argeorum ſacellum ſextum. Subura, Junius ſcribit ab eo, quod fuerit ſub antiqua urbe. cui teſtimonium poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Sucuſano dictam puto Sucuſam. Nunc ſcribitur tertia litera B, non C. Pagus Sucuſanus, quod ſuccurrit Carineis. Secundæ regionis Eſquilinæ ab Eſquileiis: alii has ſcripſerunt ab excubiis regis dictas; alii ab eo, quod excultæ a rege Tullio eſſent. Huic origini magis concinunt luci vicini; quod ibi lucus fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ: quorum anguſti fines: non mirum. jamdiu enim late avaritia una eſt. Item lucus Larum, Querquetulanum ſacellum. Eſquiliæ duo montes habiti, quod pars Ciſpius mons ſuo antiquo nomine etiam nunc in ſacreis appellatur. In ſacreis Argeorum ſcriptum eſt ſic: Oppius mons princeps

lucum Esquilinum, lucum fagutalem finiſtra, quæ ſub mœrum eſt. Oppius mons bicepſos ſimplex. Oppius mons tercicepſos lucum Eſquilinum, dexterior via in tabernola eſt. Oppius mons quadricepſos lucum Eſquilinum, via dexterior in figlineis eſt. Septimius mons quinticepſos lucum Pœtilium. Eſquilinus ſexticepſos. Ciſpius mons ſepticepſos apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere ſolet. Tertiæ regionis colles ab quinque Deorum fàneis appellati; e queis nobiles duo colles. Viminalis a Jove Viminio, quod ibi aræ ſunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt. Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum; qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt caſtra. quod vocabulum conjunctarum regionum nomina obliteravit. Dictos enim colles plureis apparet ex Argeorum ſacrificiis; in quibus ſic ſcriptum eſt: Collis Salutaris quarticepſos ædem Quirino: collis Salutaris quarticepſos adverſum eſt pila Naris, ædem Salutis: Collis Mutialis quinticepſos apud ædem Dei Fidii in delubro, ubi æditumus habere ſolet: collis Latiaris ſexticepſos in vico Muſtellario ſummo apud Turaculum ædificium ſolum eſt. Horum Deorum aræ, a quibus cognomina habent, in ejus regionis partibus ſunt. Quartæ regionis Palatium, quod Palantes cum Evandro venerunt; aut quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi conſederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam. itaque Nævius Balantium appellat. Huic Germalum & Velias

conjunxerunt. & in hac regione ſacriportus eſt, & in ea ſic ſcriptum, Germalenſis quinticepſos apud ædem Romuli. Velienſis ſexticepſos in Velia apud ædem Deûm penatium. Germalum a germaneis Romulo & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expoſitos. Veliæ unde eſſent, plures accepi cauſas; in queis, quod ibi paſtores Palatini ex ovibus ante tonſuram inventam vellere lanam ſint ſoliti: ex quo Vellera dicuntur. Ager Romanus primum diviſus in parteis treis, a quo tribus appellatæ Tatienſium, Ramnium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienſes a Tatio; Ramnenſes a Romulo; Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat. Ab hoc quoque quatuor parteis urbis tribus dictæ: & ab loceis Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, Quinta, quod ſub Roma Romilia. Sic reliquæ tribus ab iis rebus, de quibus in tribuum libreis ſcripſi.

Quod ad loca, quæque iis adjuncta fuerunt, diximus: nunc de iis, quæ in loceis eſſe ſolent. Immortalia & mortalia expediam, ita ut prius, quod ad Deos pertinet, dicam. Principes Dei, Cælum & Terra: hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Iſis, & ſt Harpocrates digito ſignificat. qui ſunt Taautes & Aſtarte apud Phœnicas, ut idem principes in Latio Saturnus & Ops. Terra enim & Cælum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dei magni, & hi, quos dixi multeis nominibus. Nam neque, quas Ambracia ante portas ſtatuit duas virileis ſpecies

aheneas, Dei magni; neque, ut volgus putat, hi Samothraces Dii, qui Caſtor & Pollux: ſed hi mas & femina; & hi, quos augurum libri ſcriptos habent ſic, Divi potes: & ſunt pro illeis, qui in Samothrace θεοὶ δυνατοί. Hæc duo, Cælum & Terra: quod anima, & corpus; humidum, & frigidum. Ova parire ſolet genus penneis condecoratum; non animas, ut ait Ennius. & poſt, Inde venit divinitus pulleis inſinuans ſe ipſa anima. ſive, ut Zenon Citieus, animalium ſemen ignis, qui anima & mens: qui calor e cælo, quod heic innumerabiles & immortales ignes. Itaque Epicharmus Enni de mente humana dicit, Iſtic eſt de ſole ſumtus ignis. Idem ſolem adſerit, Iſque actus mentis eſt, ut humores frigidæ ſunt humi, ut ſupra oſtendi, quibus juncti cælum & terra omnia ex ſe genuerunt: quod per hos natura frigori immiſcet calorem, atque humori aritudinem. Recte igitur Pacuvius ait, Animam æther adjungat. Et Ennius, Eſſe igitur corpus terram, quæ deperit ipſam, Et capit, & neque jam diſpendei conficit hilum. Animæ & corporis diſceſſus, quod nateis ſit exitus, inde Exitium; ut cum in unum ineunt, Initia. Inde omne corpus, ubi nimius ardor aut humor viget, aut interit, aut manet ſterile. cui teſtis æſtas & hiemps: quod in altero aer ardet, ſpica aret: & in altero natura ad naſcendum cum himbre & frigore victitare non volt, & potius ver exſpectat. Igitur cauſa naſcendi duplex: ignis & aqua. Ideo ea in nuptiis in limine adhibentur, quod conjungit hic. & mas ignis, quod ibi ſemen; aqua femina, quod fetus ab ejus humore,

& eorum junctione ſumit Venus. Hinc comicus, Victrix Venus videſne hæc? non quod vincere velit Venus, ſed quod vincire, & vinciri ipſa. Victoria ab eo, quód ſuperati vinciuntur. Utrique teſtis poeſis, & Victoria & Venus dicitur cæligena. Tellus enim, quod prima vincta cælo, Victoria ex eo. & ideo hæc cum corona, & palma; quod corona vinculum capitis, & ipſa a vinctura dicitur. Viere, vincire; a quo eſt in Aſoto Ennii, Ibant malam viere Veneriam corollam. Palmam dicunt, quod ex utraque parte natura vincta habeat paria folia. Poetæ de cælo ſemen igneum cecidiſſe dicunt in mare; ac natam e ſpumeis Venerem conjunctione ignis & humoris: quam haberet vim ſignificantes. a qua vi nateis dicta Vita; ut illud a Lucilio, Vis eſt vita vides, quæ nos facere omnia cogit. Quare quod cælum principium, ab ſatu eſt dictus Saturnus; & quod ignis Saturnalibus, hoc eſt cerei ſuperioribus mittuntur. Terra, Ops; quod heic omne opus, & hac opus ad vivendum: & ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terreis genteis omneis peperit, & reſumit denuo. quæ dat cibaria, ut ait Ennius: quæ quod gerit fruges, Ceres. Antiqueis enim, quod nunc & hi Dei Cælum & Terra, Juppiter & Juno. quod, ut ait Ennius, Iſtic eſt is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant aera: qui ventus eſt, & nubes, himber poſtea, atque ex himbre frigus: ventus poſt fit, aer denuo. Hæc propter Juppiter ſunt iſta, quæ dico tibi: qui mortaleis atque urbeis belluaſque omneis juvat: quod hic omneis & ſub hoc, Eundemque appellans di-

B 2

cit Ennius, Divûmque hominumque pater rex. Pater, quod patefaciat omnia, & ipsum semen. nam tum est conceptum, & inde cum exit, quod oritur. Hoc idem magis ostendit antiquum Jovis nomen. Nam olim Diovis & Diespiter dictus, hoc est aer, & dies pater. a quo Dei dicti, qui inde: & dies, & dius, & divus. Unde Sub dio, & Dius Fidius. Itaque inde ejus perforatum tectum, ut videatur divum, id est cælum. Quidam negant sub tecto per hunc dejerare oportere. Ælius Gallus Dius Fidius dicebat Diovis filius, ut Græci Διόσκουρον Castorem: & putabant hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca. Idem hic Diespiter dicitur, infimus aer, qui est conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur: quorum quod finis ortus, Orcus dictus. Quod Jovis Juno conjux, & is cælum, hæc terra, quæ eadem tellus: & ea dicta, quod una cum Jove juvat Juno: & regina, quod hæc omnia terrestria regit. Sol, vel quod ita Sabini, vel quod solum ita lucet, ut ex eo dies fit. Luna, quod sola lucet noctu. itaque ea dicta Noctiluca in Palatio: nam ibi noctu lucet templum. hanc, ut Solem Apollinem, quidam Dianam vocant Apollinis: vocabulum Græcum alterum, Latinum alterum. & hinc quod in altitudinem & latitudinem simul, Diviana appellata. Hinc Epicharmus Enni Proserpinam quoque appellat, quod solet esse sub terreis. Proserpina dicta, quod hæc ut serpens modo in dextram, modo in sinistram partem late movetur. Serpere & Proserpere idem dicebant: ut Plautus, qui scribit, Quasi proserpens

beſtia. Quæ ideo videtur a Latineis Juno Lucina dicta, vel quod terra (ut Phyſici dicunt) juvat & lucet, vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus eſt, una juvat, donec menſibus acteis produxit in lucem. Facta igitur a juvando & luce Juno Lucina: a quo parientes eam invocant. Luna enim, naſcentium dux, quod menſes hujus. Hoc vidiſſe antiquos apparet, quod mulieres potiſſimum ſupercilia ſua attribuerunt ei Deæ. Heic enim maxime debuit collocari Juno Lucina, ubi ab Dieis lux datur oculeis. Ignis a naſcendo, quod hic naſcitur; & omne, quod naſcitur, ignis ſcindit. Ideo calet, ut qui denaſcitur, ignem amittit ac frigeſcit. Ab ignis jam majore vi ac violentia Volcanus dictus. Ab eo, quod ignis per ſplendorem fulget, Fulgor, Fulmenque & Fulgur: quod fulmine ictus Phaethon contrariis Diis. Ab aquæ lapſu lubrico Lympha. Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere ſolent. A fontibus, & fluminibus, ac cetereis aqueis, Dei: ut Tiberinus a Tiberi: & ab lacu Velino, Velinia: & nymphæ Commotiæ ad lacum Cutilienſem, a commotu, quod ibi inſula in aqua commovetur. Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes cælum: a nuptu, id eſt, opertione, ut antiqui. a quo Nuptiæ, Nuptúſque dictus. Salacia Neptuni ab ſalo. Venilia a veniendo, ac vento illo, quem Plautus dicit, Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt tranquillo mari, Ventum gaudeo. Bellona a bello nunc, quæ Duellona a duello. Mars ab eo, quod maribus in bello præeſt: aut quod a Sabineis acce-

ptus, ibi Mamers. Quirinus a Quiritibus. Virtus, ut viri vis, a virilitate. Honos ab honesto honere. Itaque Honestus dicitur, quod honeratus; & dictum Honus est honos, qui sustinet rempublicam. Castoris nomen Græcum, & Pollucis a Græceis in Latineis litereis veteribus nomen, quod est, inscribitur, ut Πολυδεύκης, Polluces, non, ut nunc, Pollux. Concordia a corde congruente. Feronia, Minerva, Novensiles a Sabineis. paulo aliter ab eisdem dicimus Laram, Vestam, Salutem, Fortem Fortunam, Fidem. Ea re Sabinorum linguam olent, quæ Tatii regis voto sunt Romæ didicatæ. Nam ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque; Diovi, Saturnoque; Soli, Lunæque; Volcano, Summanoque: itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices; ut arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro serpunt. Potest enim esse Saturnus heic alia de causa dictus atque in Sabineis, & sic Diana. de quibus supra. Dictum est, quod ad immortaleis attinet: deinceps quod ad mortaleis attinet, videamus. & de his animalia in tribus loceis, quod sunt in aere, in aqua, in terra: a summa parte ad infimam descendam. Primum nominem Alites ab aleis: Volucres alii a volatu. deinde generatim. De heis pleræque a sueis vocibus, ut hæ, Upupa, Cuculus, Corvus, Hirundo, Ulula, Bubo: item hæ, Pavo, Anser, Gallina, Columba. Sunt quæ alieis de causeis appellatæ; ut Noctua, quod noctu canit, ac vigilat: Lusciola, quod luctuose canere existimatur, atque esse ex Attica Pro-

gne in luctu facta avis. Sic Galeritus, & Motacilla: alter, quod in capite habet plumam elatam; altera, quod semper movet caudam. Merula, quod mera, id est sola, volitat: contra ab eo Graculi, quod gregatim: ut quidam Græci τὰ γέργερα. Ficedulæ, & Miliariæ, a cibo: quod alteræ fico, alteræ milio fiant pingues. Aquatilium vocabula animalium partim sunt vernacula, partim peregrina. Foris, Muræna, quod μύραινα: Cybium, Thynnus, cujus item partes Græceis vocabuleis omnes, ut Melandria, atque Uræon. Vocabula piscium, pleraque translata a terrestribus: ex aliqua parte similibus rebus: ut Anguilla, Lingulaca, Sudis: alia a coloribus, ut hæc, Asellus, Umbra, Turdus: alia a vi quadam, ut hæc, Lupus, Canicula, Torpedo. Item in conchylieis aliqua ex Græceis: ut Peloris, Ostrea, Echinus. vernacula ad similitudinem: ut Surenæ, Pectunculi, Ungues. Sunt etiam animalia in aqua, quæ interdum in terram exeunt: alia Græceis vocabuleis; ut Polypus, Hippopotamus, Crocodilus: alia Latineis, ut Rana, Anas, Mergus. a quo Græci ea, quæ in aqua & terra possunt vivere, vocant ἀμφίβια. E queis Rana ab sua dicta voce: Anas, a nando: Mergus, quod mergendo in aquam captet escam. Item aliæ in hoc genere a Græceis: ut Querquedula, Cerceris, Halcedo, quod ea Halcyon. Latina, ut Testudo, quod testa tectum hoc animal: Loligo, quod subvolat, litera commutata, primo Voligo. Ut Ægypti in flumine quadrupes, sic in Latio nominati Lytra & Fiber. Lytra, quod succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissol-

vere; unde Lytra. Fiber, ab extrema ora fluminis dextra & ſiniſtra maxime quod ſolet videri: & antiqui Fibrum dicebant extremum; unde in ſageis extrema Fimbriæ, & in jecore extremum Fibra. hinc Fiber dictus. Quæ ſunt hominum propria primum, deinde de pecore, tertio de fereis ſcribam: incipiam ab honore publico. Conſul nominatus, quod conſulere populum & ſenatum debet. niſi illinc potius, unde Actius ait in Bruto, Qui recte conſulat, conſul fiat. Prætor dictus, qui præiret jure & exercitu. A quo Lucilius, Ergo prætorum eſt ante præire. Cenſor, ad cujus cenſionem, id eſt arbitrium, cenſeretur populus. Ædilis, qui ædes ſacras & privatas procuraret. Quæſtores, a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ triumviri capitales nunc conquirunt; ab heis poſtea qui quæſtionum judicia exercent, Quæſtores dicti. Tribuni militum, quod terni tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Tribuni plebei, qui ex tribuneis militum primum tribuni plebei facti, qui plebem defenderent in ſeceſſione Cruſtumerina. Dictator, quod a conſule dicebatur, cui dicto audientes omnes eſſent. Magiſter equitum, quod ſumma poteſtas hujus in equites, & adcenſos: ut eſt ſumma populi Romani dictator; a quo is quoque magiſter populi appellatus. Reliqui, quod minores quam hi magiſtri, dicti Magiſtratus: ut ab albo Albatus. Sacerdotes univerſi a ſacreis dicti. Pontifices (ut Q. Scævola Pontifex maximus dicebat) a poſſe & facere. pontifices ego a ponte arbitror. nam ab iis ſublicius

eſt factus primum, & reſtitutus ſæpe, cum ideo ſacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Curiones dicti a curieis: qui fiunt, ut in heis ſacra faciant. Flamines, quod in Latio capite velato erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum ſinguli cognomina habent ab eo Deo, cui ſacra faciunt: ſed partim ſunt aperta, partim obſcura. Aperta, ut Martialis, Volcanalis; obſcura, Dialis, & Furinalis. cum Dialis a Jove ſit, qui Diovis eſt: Furinalis a Furina, cujus etiam in faſteis Furinales feriæ ſunt. Sic Flamen Falacer a divo patre Falacre. Salii a ſaltando, quod facere in comitio in ſacreis quotanneis & ſolent & debent. Luperci, quod lupercalibus in lupercali ſacra faciunt. Fratres Arvales dicti ſunt, qui ſacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva: a ferendo & arveis fratres arvales dicti ſunt; quia fratria dixerunt. Fratria eſt Græcum vocabulum partis hominum; ut Apollini etiam nunc. Sodales Titii dicti ab Titiis avibus, quas in auguriis certeis obſervare ſolent. Feciales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, (& inde deſitum,) & ut fœdere fides pacis conſtitueretur. Ex heis mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus ſcribit Ennius dictum. In re militari Prætor dictus, qui præiret exercitui. Imperator ab imperio populi, qui eos, qui id adtentaſſent, oppreſſit hoſteis. Legati, qui lecti publice, quorum opera conſilioque uteretur peregre magiſtratus; quive nuntii ſenatus aut populi eſſent. Exercitus, quod exerci-

tando ſit melior. Legio, quod leguntur milites in delectu. Cohors, quod ut in villa ex pluribus tecteis conjungitur, ac quiddam ſit unum; ſic hæc ex manipuleis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur. Tametſi cohortem in villa Iſicrates dicit eſſe Græce κούρϑον apud poetas dictam. Manipulos exercitus minimas manus, quæ unum ſequuntur ſignum. Centuriæ, quæ ſub uno Centurione ſunt: quorum centenarius juſtus numerus. Milites, quod trium millium primo legio fiebat, ac ſingulæ tribus, Tatienſium, Ramnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant. Haſtati dicti, qui primi haſteis pugnabant; Pilani, qui pileis; Principes, qui a principio gladiis, & poſt commutata re militari minus illuſtres ſumuntur. Pilani, Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremeis ſubſidio deponebantur. Quod hi ſubſidebant, ab eo Subſidium dictum. a quo Plautus, Agite nunc, ſubſidite omnes, quaſi ſolent triarii. Auxilium appellatur ab auctu, cum acceſſerant, qui adjumento eſſent, alienigenæ. Præſidium eſt dictum, quia extra caſtra præſidebant in loco aliquo, quo tutior regio eſſet. Obſidium dictum ab obſidendo, quo minus hoſtis egredi poſſet inde. item ab abſcidendo; cum id ideo facerent, quo facilius diminuerent hoſteis. Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, inſtitutum. Turma terma eſt; E in U abiit: quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatienſium, Ramnium, & Lucerum, fiebant. Itaque primi ſingularum decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in

ſinguleis turmeis ſunt etiam nunc terni. Quos hi primo adminiſtros ipſi ſibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt. Tubicines a tuba & canendo, ſimiliter Liticines, & Claſſicos a claſſe: qui item cornu canunt, ut tum cum claſſes comitiis ad comitatum vocant. Quæ a fortuna vocabula, in heis quædam minus aperta: ut pauper, dives, miſer, beatus: ſic alia. Pauper a paulola re. Miſer, a minus, cui cum opus eſt, minus nullo eſt. Dives, a divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur. Beatus, qui multa bona poſſidet: & is Opulentus ab ope, cui eæ opimæ. Ab eadem Inops, qui ejus indiget. Ab eodem fonte Copiæ, & Copioſus. Pecunioſus, a pecunia magna: Pecunia, a pecu. a paſtoribus enim horum vocabulorum origo. Artificibus maxima cauſa ab arte: id eſt, ab arte medicina ut ſit Medicus, a ſutrina Sutor: non a medendo, ac ſuendo, quæ omnino ultima. Huic rei earum rerum radices, ut in proximo libro aperietur. Quare, quod ab arte Artifex dicitur, nec multa in eo obſcura, relinquam. Similis cauſa, quæ ab ſcientia vocantur aliqua, ut præſtigiator, monitor, nomenclator. Sic etiam a ſpatio quodam dicuntur, curſor, natator, pugil. & in hoc genere, quæ ſunt vocabula, pleraque aperta: ut Legulus, & Vindemiator: alter ab oleeis, alter ab uveis. Hæc etſi minus aperta, vindemiator, ut veſtigator, & venator: tamen id eſt quod Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit; Veſtigator a veſtigiis ferarum, quas indagatur: Venator a venatu.

[Quod ſequitur verbum adventum & inventum.] Hæc de hominibus. Hinc quod ſequitur, de pecore. Pecus ab eo, quod perpaſcat, a quo pecora univerſa; quod in pecore pecunia tum conſiſtebat paſtoribus: & ſtandi fundamentum Pes. a quo dicitur in ædificiis area pes magnus; & qui fundamentum inſtituit, pedem ponit. A pede Pecudes appellarunt, ut ab eodem Pedicam, Pediſſequum & Peculatoriæ oves, aliudve quid. id enim peculium primum. Hinc Peculatum publicum, primo ut cum pecore diceretur multa, & id eſſet coactum in publicum, ſi erat averſum, ex qua fructus major. Hinc eſt, quod Græceis Bos, βȣ̃ς: & Taurus, ταῦρος: item οἶς, ovis. ita enim antiqui dicebant, non ut nunc, πρόβατον. Poſſunt in Latio quoque, ut in Græcia, a ſueis vocibus hæc eadem ficta. Armenta, quod boves ideo maxime parabantur, ut inde eligerent ad arandum; inde Aramenta dicta, poſtea tertia litera extrita. Vitulus quod Græce antiquitus, ἰτοῦλος: aut quod plerique vegeteis, vegitulus. Juvencus, juvare qui jam ad agrum colendum poſſet. Capra, carpa, a quo ſcriptum omnicarpæ capræ. Hircus quod Sabini fircus: & quod illeic fedus in Latio rure hedus: quod in urbe, ut in multeis, A addito hædus. Porcus, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus. niſi a Græceis, quod Atheneis in libreis ſacrorum ſcriptum eſt, κάπρῳ καὶ πόρκῳ. Aries, quod eum dicebant ares veteres, noſtri arviga: hinc Arvignus. Hæ ſunt, quarum in ſacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur. quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libreis videmus in hoſtiis eam arvi-

gem, quæ cornua habet. quoniam is, cui ovi mari testiculi demti; & ideo ut natura versa Vervex declinatum. Pecori ovilo quod agnatus, Agnus. Catulus a sagaci sensu, & acuto. Hinc Canis; nisi quod tuba, & cornu, signum cum dant, canere dicuntur. quod hic item, & nocticulus in custodia, & venando signum voce dat, canis dictus. Ferarum vocabula item partim peregrina, ut Panthera, Leo: utraque Græca. a quo etiam & rete quoddam Panther, & Leæna, & muliercula Pantheris. Tigris, qui est ut leo varius, qui vivus capi adhuc non potuit; vocabulum e lingua Armenia. nam ibi & sagitta, & quod vehementissimum flumen, dicitur Tigris. Ursi, Lucana origo, vel unde illi, nostri ab ipsius voce. Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit: ut Alexandria Camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculeis ut panthera. Apri ab eo, quod in loceis aspereis. nisi a Græceis, quod hi κάπρος. Caprea a similitudine quadam capræ. Cervi, quod magna cornua gerunt, mutato G in C, ut in multeis; quasi gerui. Lepus, quod e Siculeis quidam Græcei dicunt λέποριν. a Roma quod orti Siculi, ut annales nostri veteres dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt, & heic reliquerunt id nomen. Volpes, ut Ælius dicebat, quod volat pedibus. Proxima animalibus sunt ea, quæ vivere dicuntur, neque habere animam, ut virgulta. Virgultum dicitur a viridi, idque a vi quadam humoris: quæ si exaruit, moritur. Vitis, quod ea vini origo. Malum, quod Æoles dicunt μᾶλον. Pinus juglans; quod hæc nux, antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans opti-

ma & maxima, ab Jove & glande juglans est appellata. Eadem, Nux, quod ut nox aerem, ita hujus succus facit corpus atrum. Quæ in orteis nascuntur, alia peregrineis vocabuleis, ut Græceis Ocymum, Menta, Ruta, quam nunc πήγανον appellant. Idem Caulis, Lapathium, Radix. Sic enim antiqui Græci, quam nunc Raphanum. Item ex Græceis vocabuleis, ἕρπυλλον, ῥόδον, addita & commutata una litera, Serpyllum, Rosa. Item Græca, κορίανδρον, μαλάχη, κύμινον. Item Latina, Lilium, ἀπὸ λειρίε, & Malva a μαλάχη, & Susimbrium ἀπὸ σισυμβρίε. Vernacula Lactuca a lacte, quod olus id habet lac. Brassica, ut præseca: quod ex hujus scapo minutatim præsecatur. Asparagi, quod ex aspereis virgulteis nascuntur, & ipsi scapi asperi sunt, non leves. Nisi Græcum: illic enim quoque dicitur ἀσπάραγος. Cucumeres dicuntur a curvore, ut curvimeres dicti. Fructus a ferendo res: & hæ, quas fundus; & hæ, quæ in fundo feruntur, ut fruamur. Hinc declinatæ Fruges, & Frumentum. Sed hæ e terra, etiam Frumentum, quod exta loco quo solent addi ex mola, id est ex sale, & farre molito. Uvæ ab uvore. Quæ manu facta sunt dicam, de victu, de vestitu, de instrumento: & si quid aliud videbitur heis aptum. De victu antiquissima Puls; appellata, vel quod ita Græci, vel ab eo (ut scribit Apollodorus) quod ita sonet, cum aqua ferventi insipitur. Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio Panis: posteaque figuras facere instituerunt alias. A pane & faciendo Panificium cœptum dici. Hinc Panarium, ubi id servabant: sic-

ut Granarium, ubi granum frumenti condebant, unde id dictum. Nisi ab eo, quod Græci κόκκον: a quo Græceis quoque granum dictum. & in quo eadem conduntur, Horreum ab horrendo. Triticum, quod tritum est spiceis. Far, a faciendo, quod in pistrino fit. Milium a Græco. nam id prius μέλιν, post μέδιν. Libum, quod libaretur priusquam esset, ut erat, coctum. Testuatium, quod in testu caldo coquebatur; ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ. Circuli, quod mixta farina caseo & aqua circuitum æquabiliter fundebant. Hoc quidam, qui magis incondite faciebant, vocabant Lixulas & Semilixulas, vocabulo Sabino: idque frequentius Sabini a globo farinæ dilatato. Item in oleo cocti, dicti a globo Globuli. Crustulum a crusta pultis, quojus ea, quæ ut corium exuritur, Crusta dicta. Cetera fere opera a vocabuleis Græceis sumta, ut θρύλλον, καὶ τρύφον, & placenta, quod edebant cum pulte. Ab eo Pulmentum, ut Plautus: hinc Pulmentarium dictum. Hoc primum debuit pastoribus Caseus: a coacto lacte, ut coaxeus dictus. Dein posteaquam desierunt esse contenti heis, quæ suapte natura ferebat sine igne; in quo erant poma: quæ nimis cruda esse poterant, decoquebant in olla. Ab olla Olera dicta: quorum a genere cruda olera, e queis ad coquendum, quod rueret e rure, Ruapa: unde Rapa. Olea ab elea: olea grandis, Orchitis: quod ea antiquitus Orchemora. Hinc ad pecudis carnem perventum est. Suilla sic ab illeis generibus cognominata. Hanc primo assam, secundo elixam, tertio e jure uti cœpisse natura docet. Di-

ctum Assum, quod ab igne assudescit. Uvidum est, quod humidum, & ideo ubi id non est, succus abest: & ideo sudando assum distillat calore. ut crudum nimium habet humoris; sic excoctum parum habet succi. Elixum, est e liquore aquæ deductum; & ex jure, quod jucundum magis conditione est. Succidia, ab suibus concidendis: nam id pecus primum occidere cœperunt domini, &, ut servarent, salere. Tergus suis, ab eo, quod eo tegitur. Perna a pede suis, a nomine ejus. Offula dicta, ut offa minima in sue. Insicia, ab eo, quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est: quod in exteis dicitur nunc Prosectum. Murtatum a myrto, quod eo large fartum intestinum crassum. Lucanicam dicunt, quod milites a Lucaneis didicerunt, qui & Faleriis Faliscum ventrem. Fundulum, a fundo: quod non ut reliquæ partes, sed ex una parte sola apertum. ab hoc Græcos puto τυφλὸν ἔντερον appellasse. Ab eadem fartura Farcimina in exteis appellata: a quo, quod in eo tenuissimum intestinum fartum, Hila, ab hilo dicta, id est minimo: quod ait Ennius, Neque dispendei facit hilum. Quod in hoc farcimine summo quiddam eminet: ab eo, quod ut in capite apex, Apexabo dicta. Tertium fartum est Longabo, quod longius, quam duo hila. Agumentum, quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo agendei causa. Magmentum, a magis: quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc montana fana constituta loceis certeis, quod id imponeretur matæ: ab eo, quod Græci μάτιαι καὶ μάπιαι. Item Græci sigillatim, ut ovum, bulbum.

Lana Græcum, ut Polybius & Callimachus ſcribunt. Purpura, a purpuræ maritimæ colore. Pœnicum, quod ad Pœneis primum dicitur adlatum. Stamen, a ſtando, quod eo ſtat omne in tela velamentum. Subtemen, quod ſubit ſtamini. Trama, quod tranat frigus id genus veſtimenti. Denſum, a dentibus pectinis, quibus feritur. Filum, quod minimum eſt hilum. id enim minimum eſt in veſtimento. Pannus, Græcum: Panvelum dictum a panno, & volvendo filo. Tunica, ab tuendo corpore: tunica ut induca. Toga, a tegendo. Cinctus, & Cingulum, a cingendo: alterum vireis, alterum mulieribus attributum. Arma, ab arcendo, quod heis arcemus hoſtem. Parma, quod a medio in omneis parteis par. Conum, quod cogitur in cacumen verſus. Haſta, quod ſtans ſolet ferri. Jaculum, quod ut jaciatur, fit. Tragula a trajiciendo. Scutum a ſectura, ut ſecutum; quod minute conſectum ſit tabelleis. Umbones, aut a Græco, vel quod ambones. Gladius, C in G commutato, a clade; quod fit ad hoſtium cladem gladius: ſimiliter ab omine Pilum, quod hoſtis feriret, ut perilum. Lorica, a loreis: quod de corio crudo pectoralia faciebant: poſtea ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex anuleis ferream tunicam. Balteum, quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum. Ocrea, quod opponebatur ob crus. Galea ab galero, quo multi uſi antiqui. Tubæ, a tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum. Cornua, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. Vallum, vel quod ea varicare nemo poſſit; vel

quod ſingula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literæ V. Cervi a ſimilitudine cornuum cervi. Item reliqua fere ab ſimilitudine, ut vineæ, teſtudo, aries. Menſam eſcariam cibillam appellabant: ea erat quadrata, ut etiam nunc in caſtreis eſt. A cibo Cibilla dicta; poſtea rotunda facta. & quod a nobis media, a Græceis μέσα, Menſa dici poteſt. niſi etiam quod ponebant pleraque in cibo menſa. Trulla a ſimilitudine truæ, quæ quod magna, & hæc puſilla, ut truula. Hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. Truæ, quæ a culina in lavatrinam aquam fundunt. Trua, quod travolat ea aqua; ab eodem eſt appellatum Trulleum. ſimile enim figura, niſi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cavum non eſt, niſi vinaria trulla acceſſit. Matellio a matula dictus; & dictus poſteaquam longius a figura matulæ diſceſſit. & ab aqua Aqualis dictus. Vas aquarium vocant Futum, quo in triclinio allatam aquam infundebant: quo poſtea acceſſit μάγινος cum Græco nomine; & cum Latino nomine Græca figura barbatus. Pelvis, a pedum lavatione, ut pedelvis. Candelabrum a candela. ex heis enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna poſt inventa, quæ dicta a luce, aut quod id vocant Græci λύχνον. Vaſa in menſa eſcaria, ubi pultem aut jurulenti quid ponebant: a capiendo Catinum nominaverunt. niſi quod Siculi dicunt κάτινον, ubi aſſa ponebant. Magidam aut Langulam, alterum a magnitudine, alterum ab latitudine finxerunt. Patinas a patulo dixerunt; ut puſillas, quod heis libarent cœnas patellas. Tryblia, & Caniſtra, quæ putant

esse Latina, sunt Græca. τρυβλίον καὶ κάνεον, Græca sunt. Reliqua, quod aperta sint; unde sint, relinquo. Mensam vinariam rotundam nominabant Cylibathum, ut etiam nunc in castreis. id videtur declinatum a Græco, ἀπὸ τοῦ κύλικος. qui illa capit, & minores Capulæ a capiendo; quod ansatæ, ut prehendi possint, id est capi. Harum figuras in vaseis sacreis ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus. Præterea in poculeis erant Pateræ, eo quod pateant, Latine ita dictæ. Heisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur; & in sacrificando Deeïs, hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Pocula a potione: unde Potatio; & etiam Poma, quod hæc poscunt potum. ἀπὸ τοῦ πότου Græca origo potionis. Aqua, quod æqua summa. Fons, unde funditur e terra aqua viva, ut fistula aquæ, fusus aquæ. Vas vinarium grandius, Sinum, ab sinu; quod sinum majorem cavationem, quam pocula, habebat. Item dicta Depesta etiam nunc in diebus sacreis, Sabineis vasa vinaria in mensa Deorum sunt posita. Apud antiquos scriptores Græcos inveni appellari poculi genus δεπέσκαν. Quare vel inde radices in agrum Sabinum & Romanum sunt profectæ. Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a gutteis Guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim; a sumendo, Simpulum nominavere. In hujusce locum in conviviis e Græcia successit Epichysis, & Cyathus; in sacrificiis remansit guttum & simpulum. Altera vinaria mensa erat lapidea quadrata oblonga una columella; vocabatur Cartibulum. Hæc

in ædibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur: & in ea, & cum ea ænea vaſa: a gerendo Gertibulum, unde cartibulum poſt dictum. Præterea erat tertium genus menſæ, & quadratæ vaſorum: vocaturque Urnarium; quod urnas cum aqua poſitas ibi potiſſimum habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni ſolebant urnæ, Urnarium vocatur. Urnæ dictæ, quod urinant in aqua haurienda, ut Urinator. Urinare eſt mergi in aquam. Imburum fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat ſurſum verſus: ut in aratro, quod eſt urbum. Calix, a caldo; quod in eo calda puls apponebatur, & calidum eo bibebant. Vas, ubi cibum coquebant, ab eo Cacabum appellarunt. Veru a verſando. Ab ſedendo appellantur Sedes, Sedile, Sedum, Sellæ, Seliquaſtrum. Deinde ab heis Subſellium. ut Subſipere, quod non plane ſapit: ſic quod non plane erat ſella, ſubſellium dictum. ubi in ejuſmodi duo, Biſſellium dictum. Arca, quod arcentur fures ab ea clauſa. Armarium & Armamentarium ab eadem origine, ſed declinata aliter. Mundus muliebris dictus a munditia. Ornatus, quaſi ab ore natus. hinc enim maxime ſumitur, quod eam deceat. Itaque ob id paratur ſpeculum. Calamiſtri, quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea miniſtrabat, a cinere Cinerarius eſt appellatus. Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus. Pecten, quod per eum explicatur capillus. Speculum, a ſpeciendo: quod ibi ſpectant. Veſtis a veleis: vel ab eo, quod vellus lana tonſa univerſa ovis. id dictum quod vellebant lanam: ex lana facta veſtis. Et quod

capillum contineret, dictum a rete Reticulum. Rete ab raritudine. Item Texta, fasciola, qua capillum in capite colligarent. Dictum Capital a capite, quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere. Sic Rica a ritu; quod Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt, capita velant. Mitra, & reliqua fere in capite, postea addita cum vocabuleis Græceis. Prius de indutu aut amictu quæ sunt, tangam. Capitium ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum quod subtus, a quo Subucula; alterum quod supra, a quo Supparus. nisi quod id dicunt Osce. Alterius generis item duo: unum quod foris, ac palam, Palla; alterum quod intus, a quo Intusium. id quod Plautus dicit, Intusiatam, patagiatam caltulam, ac crocotulam. Multa post luxuria adtulit: quorum vocabula apparent esse Græca, ut ἄσβεστον. Amictus est dictum Amjectum, id est circumjectum; a quo etiam, quod vestes se involvunt, Circumjectum appellant: & quod amictui habent purpuram circum, vocant Circumtextum. Antiquissimi amictui Ricinium, id quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab reiciendo Ricinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, Parilia primo dicta: reclusum propter levitatem παραπλεκεία, χλαμύς: sic multa Græca. Læna, quod de lana multa: duarum enim togarum instar. ut antiquissimum mulierum, ricinium; sic hoc duplex, virorum. Instrumenta rustica, quæ serendi aut colendi fructus causa facta. Sarculum a serendo ac sarriendo. Ligo, quod eo, propter latitudinem, quod

ſub terra facilius legitur. Pala a pangendo, G in L mutatum quod fuit. Rutrum ut ruitum, a ruendo. Aratrum, quod aravit terram. Ejus ferrum Vomer, quod vomit eo plus terram. Dens, quod eo mordetur terra. Supra id regula quæ ſtat, Stiva, a ſtando: & in ea tranſverſa regula, Manicula, quod manu bubulci tenetur: qui quaſi eſt temo inter boves. Bura a bubus. alii hoc a curvo Curvum appellant. Sub jugo medio Covum, quod bura extrema addita appellatur, vocatur covum a cavo. Jugum & Jumentum a junctu. Irpices, regula cum pluribus dentibus, quam item ut plauſtrum boves trahunt, ut eruant, quæ in terra ſunt: Sirpices poſtea, S detrita, a quibuſdam dicti. Raſtelli, ut Irpices, ferræ leves; itaque homo in prateis per feniſecia eo feſtucas abradit; quo ab raſu Raſtelli dicti. Raſtri, quibus dentalibus penitus eradunt terram atque eruunt, a quo & Rutabri dicti. Falces a farre, litera commutata. Hæ in Campania Seculæ, a ſecando. a quadam ſimilitudine harum, aliæ: & quod apertum, unde falces Fenariæ, & Adoreæ: & quod non apertum, unde Lumariæ falces, & ſirpiculæ. Lumariæ ſunt, quibus ſecant lumecta, cum in agreis ſerpunt ſpinæ. quas quod a terra agricolæ ſolvunt, id eſt luunt, Lumecta. Sirpiculæ vocatæ a ſirpando, id eſt ab alligando. ſic Sirpata dolia quaſſa cum alligata dicta. heis utuntur in vinea alligando faſces, inciſos fuſtes, faculas. has phancillas Cherſoneſice dicunt faſces. Pilum, quod eo far pinſunt. id ubi fit, Piſtrinum. L & S inter ſe ſæpe commutant. Inde poſt in urbe Lucili piſtrina, & piſtrix. Trapetes molæ

oleariæ vocantur. Trapetes a terendo, nisi Græcum. Molæ a molendo: harum enim motu eo conjecta moliuntur. Vallum a volatu, quod cum id jactant, volant inde levia. Ventilabrum, quo ventilatur in aere frumentum. Quibus comportantur fructus ac necessariæ res, de iis Fiscina a ferendo dicta. Corbes ab eo, quod spicas aliudve quid conruebant. Hinc minores corbulæ dictæ. De heis, quæ jumenta ducunt. Tragula ab eo, quod trahitur per terram. Sirpea, quæ virgeis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quo ex viminibus uterentur, & quod eo vehitur; brevis veha Vehiculum dictum est. Ab aliis etiam dictum Arcera, quæ etiam in duodecim tabuleis appellatur. quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, Arcera dictum. Plaustrum ab eo, quod non, ut in heis, quæ supra dixi, sed ex omni parte palam est. quæ in eo vehuntur, quod perlucent, lapides, asseres, tignum. Ædificia nominata a parte, ut multa: ab ædibus, & faciendo. Maximum ædificium est Oppidum ab ope dictum; quod munitur opis causa, ubi sint; & quod opus est ad vitam gerendam, ubi habitent tuto; vel oppida, quod opere munibant mœnia, quo munitius essent. Quod exaggerabant, Aggeres dicti, & quod aggerem contineret murus, quod muniendi causa manu parabatur, quo sepiebant oppidum; e quo munere Murus. Ejus summa, Pinnæ, ab heis quas insigniti milites habere in galeeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Turres e torveis, quod hæ prospiciunt ante

alios. Qua viam relinquebant in muro, qua in oppidum portarent, Portas. Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu multa, id est, juncteis bubus tauro, & vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa, & muro essent munita. Terram unde exscalpserant, Fossam vocabant; & introrsum factum murum. Postea quod fiebat orbis, Urbs. Principium, quod erat post murum, Pomerium dictum; ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur. Cippi pomerii stant, & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo Urbes: & ideo coloniæ nostræ omnes in litereis antiqueis scribuntur urbes; quod item conditæ, ut Roma: & ideo coloniæ; ut urbes conduntur, quod intra pomerium ponuntur. Oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ Lavinium. nam ibi Dii penates nostri. Hoc a Latini filia, quæ conjuncta Æneæ, Lavinia appellata. Hinc post triginta annos oppidum alterum conditur Alba; id ab sue alba cognominatum. Hæc e navi Æneæ cum fugisset Lavinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio post Lavinium conditum anneis triginta, hæc urbs facta; propter colorem suis, & loci naturam, Alba Longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea; ex hac Romulus; hinc Roma. In oppido vici a via, quod ex utraque parte viæ sunt ædificia. Fundulæ a fundo, quod exitum non habet, ac pervium non est iter. Angiportum, & id angustum, ab angendo, & portu. Quo conferrent suas controversias, & quæ vendere vellent,

& quo quæque ferrent, Forum appellarunt. Ubi quid generatim additum, ab eo cognomen; ut boarium forum, forum olitorium. hoc erat antiquum Macellum, ubi olerum copia. ea loca etiam nunc Lacedæmonii vocant μακελλώτας: ſed Jones oſtia hortorum & caſtelli, μακέλλους. Secundum Tiberim ad Junium forum piſcarium vocant. Ideo ait Plautus, Apud piſcarium, ubi variæ res. Ad corneta forum cupedinis, a Cupedio: quod multi forum cupidinis, a cupiditate. Hæc omnia poſtquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant; & ædificatus locus; appellatum Macellum, ut quidam ſcribunt, quod ibi fuerit ortus: alii, quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publice diruta: e qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo macellum. In foro lacum Curtium a Curtio dictum conſtat. de eo triceps hiſtoria. nam & Procilius non idem prodidit, quod Piſo; nec quod is, C. Ælius Stilo ſecutus. A Procilio relatum, in eo loco dehiſſe terram, & ex ſenatuſconſulto ad haruſpices relatum, eſſe reſponſum Deum Manium Poſtulionem poſtulare, id eſt, civem fortiſſimum eodem mitti. tum quendam Curtium, virum fortem, armatum aſcendiſſe in equum, & a Concordiæ verſum, cum equo in eum præcipitatum. eo facto, locum coiſſe, atque ejus corpus divinitus humaſſe, & reliquiſſe genti ſuæ monumentum. L. Calpurnius Piſo in annalibus ſcribit, Sabino bello, quod fuit Romulo & Tatio, virum fortiſſimum Metium Curtium Sabinum, cum Romulus cum ſueis ex ſuperiore parte impreſſionem feciſſet, Curtium

in locum paluſtrem, qui tum fuit in foro, ante quam cloacæ ſint factæ, ſeceſſiſſe, atque ſuos in Capitolium recepiſſe. Ab eo lacum inveniſſe nomen. C. Ælius & Q. Lutatius ſcribunt, eum locum eſſe fulguratum, & ex ſenatuſconſulto ſeptum eſſe; idque factum eſſe a Curtio conſule, cui Marcus Genucius fuit collega, Curtium appellatum. Arx ab arcendo, quod is locus munitiſſimus urbis; a quo faciliime poſſit hoſtis prohiberi. Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quæ ſub terra, Tullianum: ideo quod additum a Tullio rege: quod Syracuſeis, ubi ſimili de cauſa cuſtodiuntur, vocantur Latomiæ; & de latomia translatum, quod hèic quoque lapidicinæ fuerunt. Inde Lauretum, ab eo, quod ibi ſepultus eſt T. Tatius rex, qui a Laurentibus interfectus eſt. ab ſilva laurea, quod ea ibi exciſa, & ædificatus vicus. ut inter ſacram viam & macellum editum, Corneta a corneis, quæ abſciſſæ loco reliquerunt nomen. ut Eſculetum ab eſculo dictum, & Fagutal a fago: unde etiam, quod ibi ſacellum, Jovis Fagutalis. Armiluſtrum, ab ambitu luſtri locus. item Circus maximus dictus, quod circum ſpectaculeis ædificatus, ubi ludi fiunt; & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. Itaque dictum in Cornicula millies adventu, quem circumeunt ludentes, Quid ceſſamus ludos facere? Circus noſter ecce adeſt. In circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres: Nævius Oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant ante, quam magiſtratus miſit: Oppidum, quod a muri parte pin-

neis turribuſque carceres olim fuerunt. Scripſit poeta, Dictator ubi currum inſidit, pervehitur uſque ad oppidum. Intimus circus ad Murtium vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceeis; quod is locus eſſet inter figulos. alii eſſe dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit. cujus veſtigium manet, quod ibi ſacellum etiam nunc Murtiæ Veneris. Item ſimili de cauſa circus Flaminius dicitur, qui ædificatus eſt circum Flaminium campum; & quod ibi quoque ludeis Tauriceis circum metas currunt. Comitium ab eo, quod coibant eo comitiis curiateis, & litium cauſa. Curiæ duorum generum. nam & ubi curarent ſacerdotes res divinas, ut curiæ veteres: & ubi ſenatus humanas, ut curia Hoſtilia, quod primus ædificavit Hoſtilius rex. Ante hanc Roſtra, cujus id vocabulum, ex hoſtibus capta fixa ſunt roſtra. Sub dextra hujus a comitio locus ſubſtructus, ubi nationum ſubſiſterent legati, qui ad ſenatum eſſent miſſi. Is Græcoſtaſis appellatur a parte, ut multa. Senaculum ſupra Græcoſtaſin, ubi ædes Concordiæ, & baſilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi ſenatus, aut ubi ſeniores conſiſterent, dictum, ut γερουσία apud Græcos. Lautolæ a lavando, quod ibi ad Janum Geminum aquæ calidæ fuerunt. Ab heis palus fuit in minore Valabro, a quo, quod ibi vehebantur lintribus, Velabrum; ut illud majus, de quo ſupra dictum eſt. Æquimelium, quod æquata Melii domus publice; quod regnum occupare voluit is. Locus ad buſta Gallica, quod Roma recuperata, Gallorum oſſa, qui poſſederunt urbem, ibi coacervata ac conſita. Eſt locus, qui vocatur Do-

liola ad cloacam maximam, ubi non licet deſpuere, a dolioleis ſub terra. Eorum duæ traditæ hiſtoriæ; quod alii eſſe ajunt oſſa cadaverum: alii Numæ Pompilii religioſa quædam poſt mortem ejus infoſſa. Argiletum ſunt qui ſcripſerunt ab Argo, ſeu quod is huc venit, ibique ſepultus ſit: alii ab argilla, quod ibi id genus terræ. Clivus Publicius, ab ædilibus plebei Publicieis, qui eum publice ædificarunt. Simili de cauſa Publilius vicus, & Coſconius vicus, quod ab heis vireis dicuntur ædificati. Clivus proximus ad florales uſus verſus. Capitolium vetus, quod ibi ſacellum Jovis, Junonis, Minervæ: & id antiquius, quam Ædis, quæ in Capitolio facta. Eſquiliis vicus Africus, quod ibi obſides ex Africa bello Punico dicuntur eſſe cuſtoditi. Vicus Ciprius a cipro: quod ibi Sabini cives additi conſederunt, qui a bono omine id appellarunt. Nam ciprum Sabine bonum. Prope hunc vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore; quod, ibi cum jaceret pater occiſus, ſupra eum ut mitteret carpentum mulio, juſſit. Et quoniam vicus conſtat ex domibus, nunc earum vocabula videamus. Domus Græcum eſt, & ideo in ædibus ſacreis ante cællam, ubi ſedes Dei ſunt, Græci dicunt *πρόδομον*: quod poſt, *ὀπισθόδομον*. Ædeis ab aditu, quod plano pede adibant. Itaque ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui e tabernеis efferuntur; & omneis in cenſu villas inde dicimus Ædes. Cavum ædium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui eſſet ad communem omnium uſum. In hoc locus ſi nul-

lus relictus erat, sub divo qui esset; dicebatur Testudo a testudinis similitudine, ut est in prætorio in castreis. Si relictum erat in medio, ut lucem caperet: deorsum, quo impluebat, Impluvium dictum; & sursum, qua compluebat, Compluvium: utrumque a pluvia. Tuscanicum dictum a Tusceis, posteaquam illorum cavum ædium simulare cœperunt. Atrium appellatum ab Atriatibus Tusceis. illinc enim exemplum sumptum. Circum cavum ædium erant uniuscujusque rei utilitatis causa parietibus dissepta: ubi quid conditum esse volebant; a cælando Cællam appellarunt. Penariam, ubi penus. Ubi cubabant, Cubiculum: ubi cænabant, Cænaculum vocitabant: ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, & in cetero Latio, ac Faleriis, & Cordubæ dicuntur. Posteaquam in superiore parte cænitare cœperunt; superioris domus universa, Cænacula dicta. Posteaquam ibi cænabant, plura facere cœperunt, ut in castreis ab hieme Hiberna. hibernum domus vocarunt: contra æstivum.

Desunt paginæ tres.

religionem Porcius designat, cum de Ennio scribens dicit eum coluisse Tutilinæ loca. Sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis. Nævius enim loca, ubi ea sic dicta, coluit. Deinde porta Rauduscula, quod ærata fuit. æs Raudus dictum; ex eo in veteribus mancupiis scriptum, Rauduſculo libram ferito. Hinc porta Lavernalis ab ara Lavernæ, quod ibi ara ejus Deæ. Præterea intra muros video portas dici: in Palatio Mucionis, a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant.

Alteram, Romanulam, quæ eſt dicta ab Roma; quæ habet gradus in navalia ad Volupiæ ſacellum. Tertia eſt Janualis dicta ab Jano; & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & jus inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in annalibus L. Piſo, ut ſit clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit. Nuſquam traditum eſt memoriæ, Pompilio rege fuiſſe apertam: & poſt T. Manlio conſule, bello Carthaginienſi primo confecto; & eodem anno apertam. Super lectuleis origines, quas adverti, hæ. Lectica, quod legebant, unde eam facerent, ſtramenta atque herbas, ut etiam nunc fit in caſtreis. lectos, ne eſſent in terra, ſublimes in heis ponebant. Niſi ab eo, quod Græci antiqui dicebant λέκτρον, lectum potius. quam lecticam quod involvebant, quod fere ſtramenta erant e ſegete, Segeſtriam appellant, ut etiam nunc in caſtreis. Niſi a Græceis. nam σέγαστρον, ubi lectus mortui fertur, dicebant. feretrum noſtri, Græci φέρτρον καὶ φέρετρον. Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in ea ſagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando Culcita dicta: ac quidquid inſternebant, a ſternendo Stragulum appellabant. Pulvinar, vel a plumeis, vel a pelluleis declinarunt. Quibus operiebantur, Operimenta, & pallia, Opercula dixerunt. In heis multa peregrina, ut Sagum, Reno Galli quid gaunacumma ejus ſagum, & Amphimalon, Græca: contra Latinum Torale, quod ante torum, & Torus a torvo, quod is in promptu. ab hac ſimilitudine Torvinus in mulieris capite ornatus. Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, Scabellum; in altiorem, Scamnum.

Duplicata ſcanſio, Gradus dicitur, quod geritur ab inferiore in ſuperiorem. Græca ſunt, Periſtromata & Peripetaſmata. ſic aliud aliquid item convivii cauſa ibi. Multa pecuniæ ſignatæ vocabula ſunt: æris & argenti hæc. As ab ære. Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus Aſſipondium dicebatur. id ideo, quod As erat libræ pondus. deinde ab numero reliquum dictum uſque ad Centuſſis, ut as ſingulari numero. Ab tribus aſſibus Treſſis, & ſic proportione uſque ad Nonuſſis. In denario numero hoc mutat: quod primum eſt, ab decem aſſibus Decuſſis: ſecundum a duobus decuſſibus Biceſſis, quod dixi ſolum a duobus decuſſibus Biceſſis. Reliqua conveniunt, ut Triceſſis a tribus, ſic proportione uſque ad Centuſſis; quo majus æris vocabulum non eſt. Nam ducenti in proportione cum dicuntur, non magis aſſes, quam denarii aliæve res ſignificantur. Æris minima pars, Sextula, quod ſexta pars unciæ. Semuncia, quod dimidia pars unciæ. Se valet dimidium, ut in Selibra & Semodio. Uncia ab uno. Sextans ab eo, quod ſexta pars aſſis: ſicut Quadrans, quod quarta; & Triens, tertia pars. Semiſſis, quod ſemiæs, id eſt, dimidium aſſis, ut ſupra dictum eſt. Septunx a ſeptem & uncia concluſum. Reliqua obſcuriora, quod a deminutione: & ea, quæ deminuuntur, ita ſunt, ut extremas ſyllabas habeant. ut a duodecim una demta uncia, Deunx. Dextans, demto ſextante: Dodrans, demto quadrante. Bes, ut olim des, demto triente. In argento nummi id a Siculeis. Denarii, quod denos æris valebant. Quinarii, quod quinos. Seſter-

tius, quod ſemis tertius. Dupondius enim & ſemis antiquus ſeſtertius eſt: & veteris conſuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus. Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva. Sembella, quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſſis. Teruncius a tribus unciis, ſembellæ quod valet dimidium: & eſt quarta pars, ſic ut quadrans, aſſis. Eadem pecunia vocabulum mutat. nam poteſt idem dici dos, arrabo, merces, corollarium. Dos erit pecunia, ſi nuptiarum cauſa data: hæc Græce δωτίνη, ita enim hoc Siculi: ab eodem Donum. Nam Græce ut ipſi δῶρον, ut alii δόμα, & ut Attici δόσις. Arrabo ſic dicta, ut reliquum reddatur. hoc verbum a Græco ἀῤῥαβών. Reliquum, ex eo, quod debitum reliquit. Damnum a demtione, cum minus re factum, quam quanti conſtat. Lucrum, ab luendo, ſi amplius, quam exoluerit quanti eſſet ceptum. Detrimentum, a detritu, quod ea, quæ trita, minoris pretii. Ab eadem Intertrimentum, ab eo, quod duo, quæ inter ſe trita & deminuta, a quo etiam Intrigo dicta, & Intertrigo. Multa, a pecunia, quæ a magiſtratu dicta, ut exigi poſſit ob peccatum. quod ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe multæ, quod olim unum dicebant multa. Itaque cum in dolium aut culeum unum addunt ruſtici, prima urna addita, dicunt etiam nunc Multa. Pœna, a puniendo: vel a pœnitendo, quod poſt peccatum ſequitur. Pretium, quod æſtimationis, emtionisve cauſa conſtituitur, dictum a periteis, quod hi ſo-

lum possunt facere recte id. Si quid datum pro opera aut opere, Merces, a merendo. Quod manu factum erat, & datum pro eo, Manupretium, a manibus & pretio. Corollarium, si additum præter quam quod debitum ejus. vocabulum fictum a corolleis: quod hæ, cum placuerant actores, in scena dari solitæ. Præda est ab hostibus capta, quod manu parta, ut parida præda. Præmium a præda, quod ob recte quid factum concessum. Si datur quod reddatur, Mutuum; quod Siculi μοῖτον. Ita scribit Sophron, μοῖτον ἀνατίθημον. & Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant officii causa. Alterum munus, quod muniendei causa imperatum; a quo etiam Municipes, qui una munus fungi debent, dicti. Ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus, Sacramentum a sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibat. Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a singuleis pro portione census exigebatur. Ab hoc ea, quæ adsignata erat, Adtributum dictum. Ab eo quoque quibus adtributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni ærarii dicti. Id quod adtributum erat, æs militare. hoc est, quod ait Plautus, Cedit miles, æs petit. Et hinc dicuntur milites ærarii, ab ære, quod stipendia facerent. Hoc ipsum Stipendium ab stipe dictum, quod æs quoque Stipem dicebant. Nam quod asses libræ pondo erant; qui accepe-

rant majorem numerum, non in arca ponebant; ſed in aliqua cælla ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparet. a ſtipando Stipem dicere cœperunt. Stipare ab στείβειν fortaſſe, Græco vocabulo. Id apparet, quod ut alias, tum inſtitutum etiam nunc, Diis cum theſaureis aſſes dant, ſtipem dicunt: & qui pecuniam alligat, Stipulari & Reſtipulari. Milites ſtipendiarii ideo, quod eam ſtipem pendebant. Ab eo Ennius ſcribit, Pœni ſtipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo, Diſpenſator, & in tabuleis ſcribimus Expenſum, & inde prima Penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. Et Diſpendium, ideo quod in diſpendendo ſolet minus fieri: Compendium, quod cum compenditur, una ſit. A quo uſura, quod in ſortem accedebat, Impendium appellatum: quæ cum accederet ad ſortem, ex uſu Uſura dicta, ut Sors, quod ſuum ſit ſorte. Per trutinam ſolvi ſolitum, veſtigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter penſuram, Trutinam habet poſitam. Ab ære Ærarium appellatum.

Ad vocabula, quæ pertinere ſumus rati, ea quæ & loca, & ea quæ in loceis ſunt, ſatis arbitror dicta: quod neque parum multa ſunt aperta; neque, ſi amplius velimus, volumen patietur. Quare in proximo (ut in primo libro dixi) quod ſequitur de temporibus dicam.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. TULLIUM CICERONEM

LIBER QUINTUS.

Origines verborum, quæ ſunt locorum, & quæ in heis, in priore libro ſcripſi. in hoc dicam de vocabuleis temporum, & earum rerum, quæ in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo; ut ſedetur, ambulatur, loquitur. Atque ſi qua erunt ex diverſo genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem. Hujus rei auctor ſatis mihi Chryſippus, & Antipater; & illi, in quibus etſi non tantum acuminis, at plus literarum; in quo eſt Ariſtophanes, & Apollodorus. qui omnes verba ex verbeis ita declinari ſcribunt, ut verba literas alia adſumant, alia amittant, alia commutent: ut fit in turdo, in turdario, in turdelice. Sic declinantes Græci noſtra nomina, dicunt Lucianum, Λουκιανὸν, & Quintium, Κοίντιον: Ἀρίσαρχον illi, nos Ariſtarchum, & Δίωνα, Dionem. ſic, inquam, conſuetudo noſtra multa declinavit, ut a vetere vetuſtum, ab ſolo ſolum, ab li-

bero liberum, ab lasibus lares. quæ obruta vetustate, ut potero eruere conabor. Dicemus primo de temporibus, & quæ per ea fiunt. Sed ita, ut ante de natura eorum. ea enim dux fuit ad vocabula imponenda homini. Tempus esse dicunt intervallum mundi, & motus. Id divisum in parteis aliquot maxime ab solis & lunæ cursu. Itaque ab eorum tenore temperato Tempus dictum: unde Tempestiva, & a motu eorum, qui toto cælo conjunctus mundus Deo, motus casu venit. a quo tempus id ab hoc Deo dies appellatur. Meridies ab eo, quod medius dies. D antiqui non R in hoc loco dicebant, ut Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Æmilia & Fulvia inumbravit. Diei principium Mane, quod tum manat dies ab Oriente. Nisi potius quod bonum antiqui dicebant Manum. ad cujusmodi religionem Græci quoque, cum lumen adfertur, solent dicere, φῶς ἀγαθόν. Suprema; summum diei, id a supremo. hoc tempus duodecim tabulæ dicunt Occasum esse solis: sed postea lex Prætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremam pronuntiavit populo. Secundum hoc dicitur Crepusculum, a crepero. id vocabulum sumserunt a Sabineis: unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. Crepusculum significat dubium; ab eo res dubiæ dictæ Creperæ, quod crepusculum, dies etiamnum sit, an jam nox, multeis dubium. Nox (ut Catulus ait) quod omnia, nisi interveniat sol, pruina obriguerint. quod nocet, nox, nisi quod

Græce νὺξ, nox. Cum ſtella prima exorta, Græci vocant ἕσπερον, noſtri Veſperuginem. ut Plautus, Neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt. Exortæ ſtellæ tempus dictum a Græceis ἑσπέρα, Latine Veſper: ut ante ſolem ortum, quod eadem ſtella vocabatur Jubar, quod jubata. Pacuvius dicit, Paſtor exorto jubare, noctis decurſo itinere. Ennius, Ajax lumen jubarve in cælo cerno? Inter veſperuginem & jubar dicta nox. Intempeſta nox, ut in Bruto Caſſius, quod dicebat Lucretia, Nocte intempeſta noſtram devenit domum. Intempeſtam Ælius dicebat, cum tempus agendi eſt nullum: quod alii concubium appellarunt, quod fere omnes tunc cubarent: alii, ab eo quod ſileretur, Silentium noctis. Quod idem Plautus tempus Conticinium. ſcribit enim, Videbimus. factum volo: i, redito conticinio. Alter motus ſolis eſt, alter cæli, quod movetur a bruma ad ſolſtitium. Dicta bruma, quod breviſſimus dies eſt: Solſtitium, quod ſol eo die ſiſtere videatur; aut quod ſol ad nos verſum, proximum eſt ſolſtitium. Cum venit in medium ſpatium inter brumam & ſolſtitium, quod dies æquus ſit ac nox, Æquinoctium dictum. Tempus a bruma ad brumam dum ſol redit, vocatur annus; quod ut parvuli circuli annuli, ſic magni dicebantur circites anni: unde Annus. hujus temporis pars Hiemps, quod tum multi himbres. hinc Hibernacula, Hibernum: vel quod tum anima, quæ flatur, omnium apparet, ab hiatu hiemps. Tempus ſecundum, Ver; quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere ſe tempus anni. niſi quod Jones di-

cunt βῆρ. Tertium, ab æſtu, Æſtas. hinc Æſtivum. Niſi forte a Græco αἴθεσθαι. Quartum, Auctumnus.

Multa deſunt.

ab ſole: ſic menſis a lunæ motu dictus, dum ab ſole profecta, rurſus redit ad eum luna, quod Græce olim dicta μήνη, unde illorum μῆνες. ab eo noſtri. A menſibus Intermeſtris dictus; quod putabant inter prioris menſis ſeneſcentis extremos dies, & novam lunam, eſſe diem, quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν appellarunt; ab eo, quod ea die poteſt videri extrema & prima luna. Luſtrum nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc eſt ſolvendo: quod quinto quoque anno veſtigalia & ultro tributa per cenſores perſolvebantur. Seculum, ſpatium annorum centum vocarunt: dictum a ſene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarunt. Ævum ab ætate omnium annorum: hinc Æviternum, quod factum eſt Æternum. Id ait Chryſippus eſſe αἰῶνα. Ab eo Plautus, Non omnis ætas ad perdiſcendum eſt ſatis. hinc poetæ, Æterna templa cæli. A cæli naturali diſcrimine civilia vocabula dies acceſſerunt. Dicam prius, qui Deorum cauſa, tum qui hominum, ſint inſtituti. Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone; eo quod interrogatur a principe civitatis, & princeps gregis immolatur. Carmentalia nominantur, quod ſacratum & feriæ Carmentis. Lupercalia dicta, quod in lupercali luperci ſacra faciunt. Rex cum ferias menſtruas Noneis Februarieis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in

ſacreis noſtreis verbum. Nam & Lupercalia Februatio, ut in antiquitatum libreis demonſtravi. Quirinalia a Quirino, quod ei Deo feriæ, & eorum hominum, qui fornacalibus ſueis non fuerunt feriati. Feralia ab infereis, & ferendo: quod ferunt tum epulas ad ſepulcrum, quibus jus ibi parentare. Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim menſis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menſe. Equiria, ab equorum curſu. Eo enim die currunt equi in campo Martio. Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libeis & foculo pro emtore ſacrificantes. In libreis Saliorum, quorum cognomen Agonenſium, forſitan hic dies ideo appellatur potius Agonia. Quinquatrus: hic dies unus a nominis errore obſervatur, proinde ut ſint quinque dictus ab Tuſculaneis: poſt diem ſextum Eidus ſimiliter vocatus Sexatrus; & poſt diem ſeptimum, Septimatrus: ſic hic, quod erat poſt diem quintum Eidus, Quinquatrus. Tubiluſtrum appellatur, quod eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Megaleſia dicta a Græceis, quod ex libris Sibyllineis arceſſita ab Attalo rege Pergami prope murum Megaleſion, ubi templum ejus Deæ, unde advecta Romam. Fordicidia a fordeis bubus. bos Forda, quæ fert in ventre; quod ea die publice immolantur boves prægnantes in curiis complureis. A fordeis cædendeis Fordicidia dicta. Palilia dicta a Pale, quod & feriæ ei Deæ fiunt, ut Cerealia a Cerere, Vinalia a vino. Hic

dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. nam aliquot loceis vindemiæ primum a ſacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiamnunc. nam flamen Dialis auſpicatur vindemiam: & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa & porrecta flamen prorſus vinum legit. In Tuſculaneis ſacreis eſt, Vinum novum ne vehatur in urbem ante quam vinalia kalentur. Robigalia dicta ab Robigo. ſecundum ſegetes huic Deo ſacrificatur, ne rubigo occupet ſegetes. Dies Veſtalia, ut virgines Veſtales Veſtæ ſacrificent. Quinquatrus Minuſculæ dictæ Juniæ Eidus ab ſimilitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ. Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio menſe. Dies Populi Fugia videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus. non multo enim poſt hic dies, quam deceſſus Gallorum ex urbe: & qui tum ſub urbe populi, ut Ficuleates ac Fidenates, & finitimi alii, contra nos conjurarunt. Aliquot hujus diei veſtigia fugæ in ſacreis apparent. de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt. Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis. * Apollinaribus ludeis docui populum. * Neptunalia a Neptuno. ejus enim Dei feriæ. Furinalia a Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ dies is, cujus Deæ honos apud antiquos.

Nam ei ſacra inſtituta annua, & flamen adtributus: nunc vix nomen notum pauceis. Portumnalia dicta a Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ. Vinalia Ruſtica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris; quod tum Veneri dedicata ædis, & orti ejus tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores. Conſualia dicta a Conſo, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram ejus ab ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit. Opeconſiva dies ab Dea Opeconſiva, cujus in regia ſacrarium; quod ideo actum, ut eo præter virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo. Is cum eat, ſuffibulum haud habeat: ſcriptum id dicitur, ut a ſuffiendo ſubligaculum. Vortumnalia a Vortumno, cujus feriæ Octobri menſe. Meditrinalia dies dictus a medendo; quod, ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die ſolitum vinum novum & vetus libari & deguſtari medicamenti cauſa. Quod facere ſolent etiam nunc multi, cum dicant, Novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor. Fontinalia a fonte, quod is dies feriæ ejus. ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant. Armiluſtrium, ab eo quod in armiluſtrio armati ſacra faciunt. Niſi locus potius dictus ab heis. ſed quod de heis prius. Id ab luendo, aut luſtro, id eſt, quod circumibant ludentes ancilibus armati. Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus. ut poſt diem tertium

Opalia, Opis. Angeronalia ab Angerona, cui ſacrificium fit in curia. Accalia feriæ publicæ Laurentinæ is dies, quem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant; ab Acca Laurentia nominatus, cui ſacerdotes noſtri publice parentant ſexto die, qui atra dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas. Hoc ſacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad ſepulcrum Accæ: ut quod ibi prope faciunt Diis manibus ſervilibus ſacerdotes. qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula, de qua in priori libro dixi. Dies Septimontium nominatus ab heis ſeptem montibus, in queis ſita Urbs eſt. Feriæ, non populi, ſed montanorum modo, ut Paganalibus, qui ſunt alicujus pagi. De ſtatutis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. Compitalia, dies adtributus laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tum in compiteis ſacrificatur; quotanneis is dies concipitur. Similiter Latinæ feriæ dies conceptivus dictus a Latineis populeis, quibus ex Albano monte ex ſacreis carnem petere fuit jus cum Romaneis: a quibus Latineis Latinæ dictæ. Sementinæ feriæ, dies is, qui a pontificibus dictus; appellatus a ſemente, quod ſationis cauſa ſuſceptæ. Paganicæ, ejuſdem agriculturæ cauſa ſuſceptæ, ut haberet in agreis omnis pagus: unde paganicæ dictæ ſunt. Præterea feriæ Conceptivæ, quæ non ſunt annales; ut hæ, quæ dicuntur ſine proprio vocabulo, aut cum perſpicuo, ut Novendialis. De heis diebus nunc jam, qui hominum cauſa conſtituti, videamus. Primi dies menſium nominati Kalendæ,

ab eo, quod heis diebus kalentur ejus menſis Nonæ a pontificibus, quintanæne an ſeptimanæ ſint futuræ, in Capitolio in curia Kalabra ſic dictæ, Quinque kalo Juno Novella. Septem kalo Juno Novella. Nonæ appellatæ, aut quod ante diem nonum Eidus ſemper, aut quod ut novus annus Kalendæ Januariæ ab novo ſole appellatæ, novus menſis, nova luna Noneis. Eodem die enim in urbem ab agreis ad regem conveniebat populus. Harum rerum veſtigia apparent in ſacreis Nonalibus in arce; quod tunc ferias primas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe, rex prædicit populo. Eidus ab eo, quod Tuſci Itus, vel potius quod Sabini Eidus dicunt. Dies poſtridie Kalendas, Nonas, Eidus appellati atri; quod per eos dies novi inciperent. Dies Faſti, per quos prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quod tum eſſet populus conſtitutus ad ſuffragium ferendum. niſi ſi quæ feriæ conceptæ eſſent, propter quas non liceret: ut Compitalia, & Latinæ. Contrarii horum vocantur dies Nefaſti, per quos dies nefas fari prætorem: Do, dico, addico. Itaque non poteſt agi. Neceſſe eſt aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. Quod ſi tum imprudens id verbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed vitio: ut magiſtratus vitio creatus, nihilo ſecius magiſtratus. Prætor, qui tum fatus eſt, ſi imprudens fecit, piaculari hoſtia facta piatur: ſi prudens dixit, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non poſſe dicebat. Interciſi dies ſunt, per quos mane & veſperi eſt nefas, medio tempore

inter hoſtiam cæſam & exta porrecta fas : a quo quod fas tum intercedit, interciſi dies, aut quod tum interciſum, nefas. Dies qui vocatur ſic, Quando rex comitiavit, fas : dictus ab eo, quod eo die rex ſacrificulus dicat ad comitium, Ad quod tempus eſt nefas, ab eo fas. Itaque poſt id tempus lege actum ſæpe. Dies qui vocatur, Quando ſtercus delatum, fas: ab eo appellatus, quod eo die ex æde Veſtæ ſtercus everritur, & per Capitolinum clivum in locum defertur certum. Allienſis dies ab Allia fluvio dictus. nam ibi exercitu noſtro fugato, Galli obſederunt Romam. Quod ad ſingulorum dierum vocabula pertineat dixi. Menſium nomina ſunt aperta fere, ſi a Martio, ut antiqui inſtituerunt, numeres. Nam primus a Marte. Secundus (ut Fulvius Flaccus ſcribit, & Junius Gracchus) a Venere, quod ea ſit Ἀφροδίτη. cujus nomen ego, antiqueis litereis, quod nuſquam inveni, magis puto dictum, quod ver omnia aperit, Aprilem. Tertius, a majoribus, Majus. Quartus, a junioribus, Junius. Dehinc quintus Quintilis, & ſic deinceps uſque ad Decembrem a numero. Ad hos qui additi, prior a Principe Jano Januarius appellatus. Poſterior, ut iidem dicunt ſcriptores, ab Diis infereis Februarius appellatus, quod tum heis parentetur. Ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum Februatur populus, id eſt, luperceis nudeis luſtratur antiquum oppidum Palatium, gregibus cinctum.

Quod ad temporum vocabula Latina attinet, hactenus ſit ſatis dictum. Nunc quod ad eas res attinet, quæ in tempore aliquo fieri animadverterim,

dicam. ut hæc ſunt: Legiſti currens, ludens. De queis duo prædicere volo, quanta ſit multitudo eorum, & quæ ſint obſcuriora, quam alia. Cum verborum declinantium genera ſint quatuor: unum, quod tempora adſignificat, neque habet caſus, ut ab lego, legis: alterum, quod caſus habet, neque tempora adſignificat, ut ab lego, lectio, & lector: tertium, quod habet utrumque, & tempora & caſus, ut ab lego, legens, lecturus: quartum, quod neutrum habet, ut ab lego, lecte, lectiſſime: horum verborum ſi primigenia ſunt ad mille (ut Coſconius ſcribit) ex eorum declinationibus verborum diſcrimina quingenta millia eſſe poſſunt: ideo quia ſinguleis verbeis primigeniis circiter quingentæ ſpecies declinationibus fiunt. Primigenia dicuntur verba, ut lego, ſcribo, ſto, ſedeo; & cetera, quæ non ſunt ab aliquo verbo, ſed ſuas habent radices. Contra, verba declinata ſunt, quæ ab aliquo oriuntur, ut ab lego, legis, legit, legam, & ſic itidem hinc permulta. Quare ſi quis primigeniorum verborum origines oſtenderit, ſi ea mille ſunt, quingentûm millium ſimplicium verborum cauſas aperuit una. In nulleis tamen, qui ab eis reliqua orta oſtenderit, ſatis dixerit de origine verborum; cum unde nata ſint principio erant pauca, quæ inde nata ſunt, innumerabilia. A quibus iiſdem principiis, antepoſiteis præverbiis pauceis, immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis additeis, atque commutateis aliud atque aliud fit. Ut enim ceſſit atque receſſit, ſic acceſſit & abſceſſit: item inceſſit & exceſſit, ſic ſucceſſit, & deceſſit,

& conceſſit, & præceſſit. Quod ſi hæc decem ſolum præverbia eſſent, quoniam ab uno verbo declinatione quingenta diſcrimina fierent, heis decemplicateis conjuncto præverbio, ex uno quinque millia numero efficerent: ex mille ad quinquagies centum millia diſcrimina fieri poſſunt. Democritus, ſecuti & item alii, qui infinita principia dixerunt. quæ unde ſint, non dicunt, ſed cujuſmodi ſint. faciunt tamen magnum, quod quæ ex heis conſtant in mundo, oſtendunt. Quare ſi etymologia principia verborum poſtulet mille, de quibus ratio ab ſe non poſcatur; & reliqua oſtendat, quod non poſtulat: tamen immanem verborum expediet numerum. De multitudine quoniam, quod ſatis eſſet, admonui, de obſcuritate pauca dicam. Verborum, quæ tempora adſignificant; ideo locus difficillimus eſt τά τινα, quod neque heis fere ſocietas cum Græca lingua, neque vernacula ea, quorum repertum memoria adfuerit noſtra. de quibus, ut dixi, quæ poterimus. incipiam hinc. Primum, quod dicitur ago: Actio ab agitatu facta. Hinc dicimus, Agit geſtum tragœdus, & Agitantur quadrigæ. Hinc Agitur pecus paſtum, qua vix agi poteſt. Hinc Angiportum, quia nihil in eo poteſt agi. Hinc Angulus, quod in eo locus anguſtiſſimus, cujus loci is angulus. Actionum trium, primus agitatus mentis; quod primum ea, quæ ſumus acturi, cogitare debemus; deinde tum dicere, ac poſtremo facere. De heis tribus minime putat volgus eſſe actionem cogitationem: tertium, in quo quid facimus, id maximum. Sed & cum hoc agitamus, quid & in eam

rem cogitamus, in mente agimus; & cum pronuntiamus, agimus. Itaque ab eo orator dicitur agere caufam: & augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant. Cogitare a cogendo dictum. mens plura in unum cogit, unde deligere poffit. Sic e lacte coacto Cafeus nominatus. fic ex hominibus Concio dicta: fic Coactio, fic Compitum nominatum. A cogitatione Concilium; unde Confilium: quod ut veftimentum apud fullonem cum cogitur, Confiliari dicitur. Sic Reminifci, cum ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur. Hinc etiam Comminifci dictum, a con & mente; cum finguntur in mente, quæ non funt: & ab hoc illud, quod dicitur Reminifcor, cum commentum pronuntiatur. Ab eadem mente Meminiffe dictum: & Amens, quod a mente fua difcedit. Hinc etiam Metuo, mentem quodammodo motam amoveo. fic quod frigidus timor eft, Tremuifti, id eft, timuifti. Tremo dictum a fimilitudine vocis, quæ tunc, cum valde timetur, apparet. tum etiam in corpore pili, ut arifta in fpica hordei Horrent. Curare a cura dictum. Cura, quod cor urat. Curiofus, qui hac præter modum uritur. Recordari, rurfus in cor revocare. Curia, ubi fenatus rempublicam curat: illa etiam Curia dicitur, ubi cura facrorum publica; ab heis Curiones. Volo a voluntate dictum, & a volatu, quod animus ita eft, ut puncto temporis pervolet, quo volt. Libere a labendo dictum, quod ut lubrica mens prolabitur, ut dicebant olim. A libendo Libido, Libidinofus: fic alia, ut Libentina. Metuere

a quodam motu animi, cum id, quod malum casurum putat, refugit mens. Cum vehementius in movendo, ut ab se abeat, & foras fertur, Formido. Cum pavet, ab eo Pavor. Meminisse, a memoria; cum id, quod remansit in mente, in id rursus movetur: quæ a manando, ut Manimoria potest esse dicta. Itaque Salii, qui cantant Mamurium Veturium, significant veterem memoriam. Monere ab eadem, quod is, qui monet, proinde sit ac memoria. sic Monimenta, quæ in sepulcreis. Et ideo secundum viam; quo prætereunteis admoneant & se fuisse, & illos esse mortaleis. Ab eo cetera, quæ scripta ac facta memoriæ causa, Monimenta dicta. Mærere a marcere, quod mærore corpus marcescere videatur. hinc etiam Macri dicti. Lætari ab eo, quod latius gaudium propter magni boni opinionem diffusum. Itaque Terentius ait, Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet lætitia. Sic cum se habent læta. Narro, cum alterum facio narrum: a quo Narratio, per quam cognoscimus rem gestam, quæ pars agendi est.

Desunt quædam.

Adjicienda & hæc, quæ aut conjuncta cum temporibus, aut ab heis. eorum hoc genus videntur etyma. Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem. Ab eo, ante quam ita faciant pueri, dicuntur Infantes; cum id faciunt, jam fari: cum hoc vocabulum a similitudine vocis pueri, ac Fatuus fari id dictum. Ab hoc tempore, quod tum puereis constituant Parcæ fando, dictum Fa-

tum, & res Fatales. Ad hæc eandem vocem qui facile fantur, Facundi dicti: qui futura prædivinando solent fari, Fatidici dicti. iidem Vaticinari; quod vesana mente faciunt. Sed de hoc postea erit usurpandum, cum de poeteis dicemus. Hinc Fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc Nefasti, quibus diebus ea fari jus non est: &, si fati sunt, piaculum faciunt. Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cælestium extra urbem agreis sunt effati. hinc effari templa dicuntur ab auguribus: adfatus, qui in heis fines sunt. Hinc Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem. hinc Profanum est, quod ante fanum, id est conjunctum fano: hinc Profanatum, quod in sacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam Fanatur, id est, ut fani lege sit, id dicitur. Pollutum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum pollutum est: ut cum Profanum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. Itaque ubi olim fano consumebatur omne quod profanum erat, ut etiam fit: quod prætor urbanus quotanneis facit, cum Herculi immolat publice juvencam. Ab eodem verbo fari, Fabulæ, ut tragœdiæ & comœdiæ, dictæ. Hinc Fassi, & Confessi, qui fati id quod ab heis quæsitum. Hinc Professi; hinc Fama, & Famosi. Ab eodem Falli, Falsum, & Fallacia: quæ propterea, quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine

fallacia, sed translatione. ut a pede nostro pes lecti, ac pes betæ. Hinc etiam Famiger, Affabile, & sic composita alia item, ut declinata multa, in quo & Fatuus & Fatue. Loqui ab loco dictum: quod qui primo dicitur fari, & vocabula & reliqua verba dicit, ante quam suo quisque loco ea dicere potest. Hunc Chrysippus negat loqui, sed ut loqui: quare ut imago hominis non sit homo, sic in corveis, cornicibus, puereis primitus incipientibus fari, verba non esse verba, quod non loquantur. Igitur is loquitur, qui suo loco quodque verbum sciens ponit: & istum Prolocutum dicimus, cum, animo quod habuit, extulit loquendo. Hinc etiam amplius dicuntur Eloqui ac Reloqui in faneis Sabineis e cælla Dei, qui eloquuntur. hinc dictus Loquax, qui nimium loquitur: hinc Eloquens, qui copiose loquitur: hinc Colloquium, cum conveniunt in unum locum loquendi causa. Hinc Adlocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum consulendi causa. hinc quidam Loquelam dixerunt, verbum, quod in loquendo efferimus. Concinne loqui dictum a concinne, ubi inter se conveniunt partes, & inter se respondent aliud alii. Pronuntiare dictum & Nuntiare. Pro idem valet, quod ante, ut in hoc Proludit. Ideo actores pronuntiare dicuntur, quod proscenio pronuntiant poeta cogitante: quod maxime tum dicitur proprie, novam fabulam cum agunt. Nuntius est enim ab heis rebus nominatus, quod a Græco verbo νέος videri potest declinatum: ab ea quidem Græca voce Neapolis, νέα πόλις, ab antiqueis nostreis

vocitata: a quo etiam extremum Noviſſimum quoque dici cœptum volgo: quod mea memoria, ut Ælius Gallus, ſic ſenes aliquot, nimium novum verbum quod eſſet, vitabant. Cujus origo, ut a vetere vetuſtius, ac veterrimum; ſic a novo declinatum novius, & noviſſimum, quod extremum. Sic ab eadem origine Novitas, Novicius, & Novalis; & ſub noveis, dicta pars in foro ædificiorum. quod vocabulum ejus pervetuſtum, ut novæ viæ, quæ via jamdiu vetus. Ab eo quoque poteſt dictum nominare, quod res novæ in uſum quomodo additæ erant: quibus ea noviſſent, nomina ponebant. Ab eo nuncupare, & nuncupatæ res, quod tum in civitate vota nova ſuſcipiuntur. Nuncupare, nominare valere, apparet in legibus, ubi nuncupatæ pecuniæ ſunt ſcriptæ. Item in choro, in quo eſt, Ænea, quis eſt, qui meum nomen nuncupat? Item in Medea, Quis tu es, mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine? Dico, originem habet Græcam, quod Græci δικάζω. hinc Ennius, Dico, qui hunc dicare cupit. hinc Judicare, quod tunc jus dicatur: hinc Judex, quod jus dicat accepta poteſtate, id eſt, quibuſdam verbeis dicendo finit. Sic enim ædis ſacra a magiſtratu pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hinc ab indicando Indicium: hinc illa, Indicit illum: indixit funus: Prodixit diem: Addixit judicium. Hinc appellatum Dictum in mimo, ac Dictioſus. hinc in manipuleis caſtrenſibus Dicta ducibus. Hinc Dictata in ludo: hinc Dictator magiſter populi, quod is a conſule debet dici: hinc antiqua illa, Dicis immo, & Dicis cauſa, & Addictus (ſi dico quid

ſcienti quod det, quod ignoravit trado.) Hinc Doceo declinatum: vel quod cum docemus, dicimus; vel quod qui docentur, inducantur in id, quod docentur: ab eo, quod ſit ducere, qui eſt Dux, aut Ductor, qui ita inducit, ut doceat. Ab docere Diſciplina, & Diſcere, litereis commutateis pauceis. Ab eodem principio Documenta, quæ exempla docendi cauſa dicuntur. Diſputatio, & Computatio, cum præpoſitione, a Putando, quod valet purum facere. Ideo antiqui purum Putum appellarunt. Ideo Putator, quod arbores puras facit. Ideo Ratio putari dicitur, in qua ſumma ſit pura. Sic is ſermo, in quo pura diſponuntur verba, ne ſit confuſus, atque ut diluceat, dicitur Diſputare. Quod dicimus, Differit parteis, item areas, translatitio æque ex agreis verbo utimur. Nam ut olitor differit in areas ſui cujuſque generis res, ſic in oratione qui facit, Diſertus. Sermo, opinor, eſt a ſerie: unde Serta, & in veſtimento Sartum, quod comprehenſum. Sermo enim non poteſt in uno homine eſſe ſolo, ſed ubi oratio cum altero conjuncta. Sic Conſerere manum dicimur cum hoſte: ſic ex jure manu conſertum vocare. Hinc Adſerere manu in libertatem, cum prehendimus. Sic augures dicunt, Si mihi auctor es verbi. nam manu adſerere dicit.

Deſunt quædam.

Hinc etiam ipſi Conſortes, ad quos eadem ſors. hinc Sortes, quod in heis juncta tempora cum hominibus ac rebus. Ab heis Sortilegi. Ad hoc pecunia, quæ in fenore, ſors eſt, impendium quod inter ſe jungat. Legere dictum, quod legantur ab ocu-

leis literæ. Ideo etiam Legati, quod ut publice mittantur, leguntur. Item a legendo Leguli, qui oleam aut uvas legunt. Hinc Legumina in frugibus variis: Leges etiam, quæ lectæ, & ad populum latæ, quas observet. Hinc Legitima; & Collegæ, qui una lecti; & qui in eorum locum suppositi, Sublecti; Additi, Adlecti. & Collecta, quæ ex pluribus loceis in unum lecta. Ab legendo Ligna quoque, quod ea caduca legebantur in agro, quibus in focum uterentur. Itidem ab legendo Legio, & Diligens, & Delectus. Murmuratur, dictum a similitudine sonitus. Qui murmurat, ita leviter loquitur, quod magis id sono facere, quam ut intelligatur, videatur. Hinc etiam poetæ murmurantia litora. Similiter Fremere, Gemere, Clamare, Crepare, ab vocis similitudine & sonitus dicta. Hinc illa, arma Sonant, Fremor oritur: nil me Increpitando commoves. Vicinaque horum, Quiritare, Jubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat. Quirites a Curensibus, & ab iis, qui cum Tatio rege in societatem venerunt, & donati civitate. Ut Quiritare, urbanorum, sic Jubilare, rusticorum. Itaque hos imitatus Aprissius ait in Bacche, Quis me jubilat? Vicinus tuus antiquus. Sic Triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io. Idque a θριάμβω Græco Liberi patris cognomento potest dictum esse. Spondere est dicere. Spondeo, a sponte. nam id valet, & a voluntate. Ideo Lucilius scribit de Cretea, Cum ad se cubitum venerit sua voluntate, spon-

te ipſam ſuapte adductam, ut tunicam & cetera rejiceret. Eandem voluntatem Terentius ſignificat, cum ait, Satius eſſe ſua ſponte recte facere, quam alieno metu. Ab eadem ſponte, a qua dictum ſpondere, declinatum ſpondet, & Reſpondet, Deſponſor, & Sponſa, item ſic alia. Spondet enim, qui dicit ſua ſponte, ſpondeo. ſpondet etiam ſponſor, qui idem ut faciat, obligatur. hinc Sponſus, Conſponſus. hoc Nævius ſignificat, cum ait, Conſponſi. Spondebatur pecunia, aut filia nuptiarum cauſa: appellabatur & pecunia, & quæ deſponſa erat, Sponſa. quæ pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat, dicta Sponſio. cui deſponſa quod erat, Sponſus. quo die ſponſum erat, Sponſalis. qui ſpoponderat filiam, Deſpondiſſe dicebatur; quod de ſponte ejus, id eſt voluntate, exierat. Non enim ſi volebat, dabat, quod ſponſu erat alligatus. Nam in comœdiis vides dici, Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo? quod tum & prætorium jus ad legem, & cenſorium judicium ad æquum æſtimabatur. Sic Deſpondiſſe animum quoque dicitur, ut deſpondiſſe filiam; quod ſuæ ſpontis ſtatuerat finem. a qua Sponte dicere, cum ſpondere quoque dixerunt, cum a ſponte reſponderetur, id eſt, ad voluntatem rogantis. Itaque qui ad id, quod rogatur, non dicit, non reſpondet: ut non ſpondet ille ſtatim, qui dixit ſpondeo, ſi jocandi cauſa dixit: neque agi poteſt cum eo ex ſponſu. Ita quiſquis dicit in tragœdia, Meminiſtine te deſpondere mihi gnatam tuam? quod ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Etiam Spes

a ſponte poteſt eſſe declinata, quod tum ſperat, cum quod volt, ſic fieri putat. nam quod non volt, ſi putat; metuit, non ſperat. Itaque hic quoque qui dicit in Aſtraba Plauti, Sequere, adſequere Polyba, diſce: meam ſpem cupio conſequi. Sequor Hercule quidem. nam libenter mea ſperata conſequor. Et quod ſine ſponte dicunt: vere neque ille ſperat qui dicit adoleſcens, neque illa ſperata eſt. Sponſor, & præs, & vas; neque idem, neque res, a quibus ii, ſed diſſimiles. Itaque Præs, qui a magiſtratu interrogatus, in publicum ut præſtet: a quo & cum reſpondet, dicitur Præs. Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Conſuetudo erat, cum reus parum eſſet idoneus, incepteis rebus, ut pro ſe alterum daret; a quo caveri poſtea lege cœptum eſt, ab heis, qui prædia venderent, vades ne darent. ab eo ſcribi cœptum in lege manicipiorum: vadem ne poſceret, nec dabitur. Canere, & canit, & Succinit, & Cantus, & Cantatio, ex camena, permutato N: ab eo, quod ſemel canit; ſi ſæpius, cantat. hinc Cantitat, item alia. nec ſine canendo tibicines dicti. Omnium enim horum quid a canere. etiam Buccinator a vocis ſimilitudine & cantu dictus. Oro ab ore, & Perorat, & Exorat, & Oratio, & Orator, & Oſculum dictum. Inde Omen, & Ornamentum. alterum, quod ex ore primum elatum eſt, Oſmen dictum; alterum cum præpoſitione dicitur nunc ornamentum, olim oſnamenta: ut ſcenici plerique dicunt. Hinc Oſcines dicuntur apud augures, quod ore faciunt auſpicium. Tertium gradum agen-

di dicunt, ubi quid faciunt: in eo propter ſimilitudinem agendi, & faciendi, & gerendi, quidam error heis, qui putant eſſe unum. Poteſt enim aliquid facere, & non agere: ut poeta facit fabulam, & non agit: contra actor agit, & non facit. & ſic a poeta fabula fit, & non agitur; ab actore agitur, & non fit. Contra imperator, qui dicitur res Gerere, in eo neque agit, neque facit, ſed gerit, id eſt ſuſtinet. translatum ab heis, qui honera gerunt, quod ſuſtinent. Proprio nomine dicitur Facere a facie; quod rei, quam facit, imponit faciem. ut fictor cum dicit Fingo, figuram imponit: cum dicit Informo, formam: ſic cum dicit Facio, faciem imponit: a qua facie diſcernitur, ut dici poſſit aliud eſſe veſtimentum, aliud vas. Sic item quæ fiunt apud fabros, fictores, item apud alios alia. Qui quid adminiſtrat, cujus opus non exſtat, quod ſub ſenſum veniat, ab agitatu, ut dixi, magis agere, quam facere putatur: ſed quod heis magis promiſcue, quam diligenter conſuetudo eſt uſa, translatitiis utimur verbeis. Nam & quidem Facere verba dicimus, & qui aliquid agit, non eſſe infitientem. Qui adlucet, dicitur Lucere, ab luere: & luce diſſolvuntur tenebræ. ab luce Noctiluca. Lucere item a luce, quod propter lucem cultus inſtitutus. Adquirere eſt ab ad & quærere: ipſum Quærere, ab eo, quod quæ res ut recuperaretur, datur opera: a quærendo Quæſtio: ab heis Conquæſtor. Video, a viſu: quinque enim ſenſuum maximus eſt in oculeis. Nam cum ſenſus nullus, quod abeſt mille paſſus, ſentire poſſit; oculorum ſenſus viſuſque ad ſtellas

pervenit. Hinc Visenda, Vigilant, Pervigilium, & Invident. & Actiacum illud, Oblivio lavet, quod incidit invidendum. a quo etiam Violavit virginem, pro vitiavit, dicebant. Æque eadem modestia potius Cum muliere fuisse, quam Concubuisse, dicebant. Cerno, idem valet. Itaque pro video, ut ait Ennius, Lumen jubarve in cælo cerno? C. Annius, Sensumque inesse & motum in membreis cerno. Dictum Cerno a creo, id est a creando: ab eo, quod, cum quid creatum est, tunc denique videtur. Hinc fines capillorum descripti, quod finis videtur discrimen. & qui id in testamento, id est, facito videant te esse heredem. Itaque in creatione adhibere jubent testes. Ab eodem est quod ait Medea, Ter sub armeis malim vitam cernere, quam semel modo parere. Quod ut decernunt de vita eo tempore multorum, videatur vitæ finis. Spectare dictum ab Specio antiquo: quo etiam Ennius usus, Vos epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant Spectionem, qui non habeant; & quod in auguriis augures dicunt, avem specere. Consuetudo autem communis, quæ cum præverbiis conjuncta sunt, etiam nunc servat: ut Aspicio, Conspicio, Respicio, Suspicio, Despicio: sic alia. In quo etiam Exspecto, quod spectare volo. Hinc Specula: hinc Speculum: quod in eo specimus imaginem. Specula, de qua prospicimus. Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat quæ volumus. Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus, Specillum. Ab auribus videntur dicta verba, Audio, & Ausculto. audio, ab

aveo, quod auribus avemus diſcere ſemper. quod Ennius videtur etymon oſtendere velle in Alexandro, cum ait, Jamdudum ab ludeis animus atque aures avent, avide exſpectantes nuntium. Propter hanc aurium aviditatem theatra replentur. Ab audiendo etiam Auſcultare declinamus, quod hi auſcultare dicuntur, qui auditeis parent. a quo dictum poetæ, audio, aut auſculto. Literæ commutatione dicitur Odor, olor. hinc Olet, & Odorari, & odoratur, & Odora res. Sic ab ore, edo, ſorbeo, bibo, poto. Edo a Græco ἔδω. Hinc Eſculentum, & Eſcæ, Edulia: & quod Græce γεύεσθαι, Latine Guſto. Sorbere, item Bibere, a vocis ſono: ut Fervere aquam, ab ejus rei ſimili ſonitu. Ab eadem lingua πότω, unde Potio, unde Poculum: Potatio, Repotatio: itidem Puteus, quod ſit Græcum antiquum non ut nunc φρέαρ dictum. A manu Manupretium: Mancipium, quod manu capitur. Cum jungit plures manus, Manipulus. unde Manipularis miles, unde Manica. Manubrium, quod manu teneatur. Mantelium quaſi manuterium, ubi manus terguntur. Nunc primum ponam de cenſoriis tabuleis. Ubi noctu in templum cenſura auſpicatur, atque de cælo nuntium erit: præconi ſic imperato, ut viros vocet, Quod bonum, fortunatum, felixque ſalutareque ſiet populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magiſtratuique noſtro. Omnes Quirites, pedites, armatos, privatoſque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſive altero dari rationem volet, voca inli-

cium huc ad me. Præco in templo primum vocat, poſtea de mœreis item vocat. Ubi lucet, cenſor, ſcribæ, magiſtratus murrha, unguenteis unguntur. Ubi prætores, tribunique plebei, quique in conſilium vocati ſunt, venerunt: cenſores inter ſe ſortiuntur, uter luſtrum faciat, ubi templum factum eſt. Poſt autem conventionem habet, qui luſtrum conditurus eſt. In commentariis conſularibus ſcriptum ſic inveni, Qui exercitum imperaturus erit, accenſo dicit hoc, Calpurni, voca inlicium omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites inlicium viſite huc ad judices. C. Calpurnius dicit, Voca ad conventionem omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices. Deinde conſul loquitur ad exercitum, Impero qua convenit ad comitia centuriata. Quare hic accenſo, illic præconi dicit, hæc eſt cauſa. in aliquot rebus idem ut præco, accenſus acciebat. a quo Accenſus quoque dictus. Accenſum ſolitum ciere Bœotia oſtendit: quam comœdiam alii eſſe dicunt: hoc verſu, Ubi primum accenſus clamarit meridiem. Hoc idem Coſconius in actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum tum eſſe jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Circum aras mitti ſolitum, quom inliceret populum in eum locum, unde vocare poſſet ad conventionem vocantis, non ſolum ad conſulis & cenſoris, ſed etiam quæſtoris, ut commentarium indicat vetus inquiſitionis M. Sergii Mani filii quæſtoris,

qui capitis accusavit Trogum: in qua sic est, Auspicio orando sede in templo auspicii, dum aut ad prætorem aut ad consulem mittas auspicium petitum commeatum. prætores vocet ad te, & eum de mœreis vocet: præconi id imperare oportet. cornicinem ad privati januam, & in arcem mittas, ubi canat collegas T. Trogi, & comitia edicat e rostreis. argentarii tabernas occludant: patres censeant, exquiras & adesse jubeas. magistratus censeat ex ara consules, prætores, tribunosque plebei collegasque suos, & in templo jubeas adesse homineis; ac cum mittas, concionem advoces. In eodem commentario anquisitionis ad extremum scriptum caput edicti hoc est. Item quod adtingat, qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemtum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat tum circumque mœros, & ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis hosticum canat; & ut in campo cum prima luci adsit. Et inter id cum circum mœros mittitur, & cum concio advocatur, interesse tempus, apparet ex heis, quæ interea fieri inlicium scriptum est. Sed ad comitia tum vocatur populus: ideo quod alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare: censor, consul, dictator, interrex potest. quod censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad vexillum ducere debet. dictator & consul in singulos annos: quod hic exercitui imperare potest, quo eat, id quod propter centuriata comitia imperare solent. Quare non est du-

bium, cum hoc inlicium ſit, cum circum muros itur, ut populus inliciatur ad magiſtratus conſpe-ctum, quod conſul vocare poteſt in eum locum, unde vox ad conventionem vocantis exaudiri poſ-ſit. Quare una origine Inlicio & Inlicius, quod in choro Proſerpinæ eſt: & Pellexit, quod in Her-miona eſt, cum ait Pacuvius, Regni alieni cupi-ditas pellexit. Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo. Hoc nunc aliter fit atque olim, quod au-gur conſuli adeſt tum cum exercitus imperatur, ac præit, quid eum oporteat dicere. Conſul auguri imperare ſolet, ut inlicium vocet, non accenſo, aut præconi. Id inceptum credo, cum abeſſet accenſus, & nihil intererat, cui imperaret; & dicis cauſa fie-bant quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper. Hoc ipſum Inlicium ſcriptum inveni in M. Junii commentariis: quod tamen ibidem eſt, quod illicite illexit. Quæ cum E, & C, cum G, ma-gnam habent communitatem. Sed quoniam in hoc de pauceis rebus verba feci multa: de pluribus re-bus verba faciam pauca, & potiſſimum, quæ in Græca lingua putant Latina. ut Scalpere, σκαλεύειν: Sternere, ϛορεννύειν: Lingere, λείχεσθαι: Ferre, φέ-ρειν: Providere, προϊδεῖν: Errare, ἐρύειν. quæ omnia Græca ſunt. Item ab γίγνομαι, Gigno; & ab eo, quod dicunt ϛραγγαλίζειν, Strangulare: Tingere, θιγ-γάνειν. Præterea ab eo, quod nos Malaxare, illi μα-λακίζειν: Potare, ποτίζειν: Domare, δομᾷν: Mulgere ab ἀμέλγειν. ut Runcinare a runcina, cujus origo Græca ῥύγχος.

Quod ad originem verborum hujus libri per-

tinet, quoniam ſatis multas arbitror poſitas hujus generis, deſiſtam. Et quoniam de heiſce rebus treis libros ad te mittere inſtitui; de oratione ſoluta duos, de poetica unum: & ex ſoluta oratione ad te miſi duos, priorem de loceis, & quæ in loceis ſunt; hunc de temporibus, & quæ cum heis ſunt conjuncta: deinceps in proximo de poeticeis verborum originibus ſcribere inſtitui.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. TULLIUM CICERONEM

LIBER SEXTUS.

Temporum vocabula, & eorum, quæ conjuncta ſunt, aut in agendo fiunt, aut cum tempore aliquo enuntiantur, priore libro dixi. In hoc dicam de poeticeis vocabuleis, & eorum originibus. In queis multa difficilia. nam verbum, quod conditum eſt, & quibus litereis oportet ſcribi, aperiam. Inde ſi poſt aliqua demta ſit, obſcurior fit voluntas, in poſteriores non reprehendenda. Igitur in illeis, qui in ſcrutando verbo literas adjiciunt, aut demunt, facilius, quid ſub ea voce ſubſit, videre poſſint. Etenim facilius obſcuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, ſi extrinſecus admoveant nigras ſetas. cum hæc adminicula addas ad eruendam voluntatem impoſitoris; tamen latent multa. Quod ſi poetice in carminibus ſervaret multa priſca, quæ eſſent; ſic etiam cur eſſent, poſuiſſet: fecundius poemata ferrent fructum. Sed ut in ſoluta oratione, ſic in poemateis verba omnia, quæ

habent ἔτυμα, possunt dici nec multa: ab eo, quod non erunt in lucubratione literæ prosecutæ; licet multum legerent C. Ælii, hominis in primo in litereis Latineis exercitati, interpretationem carminum Saliorum: videbis & exili litera expeditam, & præterita obscura multa. Nec mirum, cum non modo Epimenides post annos quinquaginta expeditus a multeis non cognoscatur; sed etiam Teucer Livii post annos duodecim ab sueis, qui sit, ignoratur. At hoc quid ad verborum poeticorum ætatem? quorum si Pompilii regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea a superioribus accepta; tamen habent septingentos annos. Quare, cur scriptoris industriam reprehendas, qui herois tritavum atavumque non potuerit reperire, cum ipse tui tritavi matrem non possis dicere? Quod intervallum multo tanto propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicuntur Latina. Igitur de originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam, qui aliquid nequiverit, reprehendendum. præsertim cum dicat etymologice, non omnium verborum posse dici caussas: ut quia quare ad medendum medicina. neque si non norim radices arboris, non possem dicere pirum esse ex ramo, ramum ex arbore, eam ex radicibus, quas non video. Quare qui ostendit, equitatum esse ab equitibus, equites ab equite, equitem ab equo; neque, equus unde sit, dicit; tamen hic docet plura, & satisfacit grate. Quem imitari possumus, ut ipse liber erit indicio. Dicam isto libro de verbeis, quæ

a poeteis ſunt poſita. Primum de loceis; deinde de iis, quæ in loceis ſunt; tertio de temporibus; tum quæ cum temporibus ſunt conjuncta, utque cum heis ſunt conjuncta, adjungam. & ſi quid excidit ex hac quadripartitione, tamen in ea ut comprehendam, incipiam hinc. Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli templa. Templum tribus modeis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. Natura in cælo; ab auſpiciis, in terra; ab ſimilitudine, ſub terra. In cælo templum dicitur: ut in Hecuba, O magna templa cæli tum commixta ſtelleis ſplendideis. In terra, ut in Peribœa, Scrupea ſaxa Bacchi templa prope adgreditur. Sub terra, ut in Andromacha, Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera. quam, quia initium erat oculi, a tuendo primo templum dictum. quocirca cælum qua tuimur, dictum templum. Sic, Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. id eſt (ut ait Nævius in Hemiſphærio) ubi terra cærulo ſeptum ſtat. Ejus templi partes quattuor: ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu: antica ad meridiem, poſtica ad ſeptemtrionem. In terreis dictum templum locus augurii aut auſpicii cauſa quibuſdam concepteis verbeis finitus. Concipitur verbeis non iiſdem uſquequaque. In arce item, Teſtaque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quidquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectumque: ferto in ſiniſtrum. Olla ver arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum tectumque: ferto in dextrum. Interea concretione, conſpicione, cortumione, utique ea rectiſ-

ſime ſenſi. In hoc templo faciundo arbores conſtitui fines apparet, & intra eas regiones, qua oculi conſpicient, id eſt tuimur: a quo templum dictum, & Contemplare. ut apud Ennium in Medea, Contempla, & templum Cereris ad lævam aſpice. Contemplare & conſpicare idem eſſe, apparet. ideo dicere cum templum faciant augures Conſpicione, qua oculorum conſpectum finiant: quod cum dicunt conſpicionem, addunt Cortumionem, quæ dicitur a cordis viſu. Cor enim, cortumionis origo. Quod addit, templa ut ſint dextra; ajunt ſancta eſſe, qui gloſſas ſcripſerunt. Id eſt falſum. nam curia Hoſtilia templum eſt, & ſanctum non eſt. ſed hoc ut putarent ædem ſacram eſſe templum & ſanctum eſſe; quod in urbe Roma pleræque ædes ſacræ ſunt templa, eadem ſancta: & quod loca quædam agreſtia, quod alicujus Dei ſunt, dicuntur Teſca. Nam apud Actium in Philoctete, Lemnia quis tu es mortalis, qui in deſerta & teſca te apportes loca? Loca enim, quæ ſunt, deſignat, cum dicit Lemnia. Præſtolare, & celſa Cabirum delubra tenes, myſteriaque priſtina caſteis concepta ſacreis. Deinde Volcania templa ſub ipſeis collibus: in quos delatus locos dicitur, alto ab limine cæli. Et Nævius, Exſpirante vapore vides, unde ignes cluet mortalibus diveis. Quare heic qui teſca dixit, non erravit. neque ideo, quod ſancta, ſed quod ibi myſteria fiunt, ac tuentur, Tueſca dicta, poſt teſca. Tueri duo ſignificat, unum ab aſpectu, ut dixi: unde eſt illud, Tueor te ſenex proh Juppiter? Et, Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri?

Alterum a curando ac tutela: ut cum dicimus, Bellum tueor, & tueri villam. a quo etiam quidam dicunt illum, qui curat ædeis ſacras, Æditumm, non Æditumum. Sed tamen hoc ipſum ab eadem profectum eſt origine, quod quem volumus domum curare, dicimus, Tu domi videbis. ut Plautus, cum ait, Intus para, cura, vide, quod opus fiat. Sic dicta Veſtiſpica, quæ veſtem ſpiceret, id eſt, videret veſtem ac tueretur. Quare a tuendo & templa & teſca dicta, cum diſcrimine eo, quod dixi. Etiam inde idem, illud enim extemplo acceptum me negato & filium. Extemplo, eſt continuo: quod omne templum debet circum ſeptum, nec plus quam unum introitum habere. Quod eſt apud Actium, Pervade polum, ſplendida mundi ſidera bigeis continueis ſecepit ſpoliis. Polus, Græcum: id ſignificat circuitum cæli. Quare quod eſt Pervade polum, vade per polum. Signa dicuntur eadem & ſidera. Signa, quod aliquid ſignificent, ut libra, æquinoctium. Sidera, quæ inſidunt: atque ita ſignificant aliquid in terreis perurendo, aliudve. Quare & ſignum candens in Hectore. Quod eſt terrarum amfracta reviſam. Amfractum eſt ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu, & frangendo. ab eo leges jubent in directo pedum octo eſſe, in amfracto ſexdecim: id eſt, in flexu. Ennius, Ut tibi Titanis Trivia dederit ſtirpem liberûm. Titanis Trivia Diana eſt, ab eo dicta Trivia, quod in trivio ponitur fere in oppideis Græceis. vel quod luna dicitur eſſe, quæ in cælo tribus viis movetur, in altitudinem & latitudinem & longitudinem.

Titanis dicta, quod eam genuit Titani filia Latona, ut ſcribit Manilius, Creta Titano. ut idem ſcribit, Latona parit caſto complexu Jovis Deli Deos geminos. id eſt, Apollinem & Dianam. Idem de eodem, O ſancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines. Umbilicum dictum ajunt ab umbilico noſtro; quod is medius locus ſit terrarum, ut umbilicus in nobis. Quod utrumque eſt falſum. neque hic locus eſt terrarum medius; neque noſter umbilicus, eſt hominis medius. Itaque pingitur, qui vocatur ἰχθὸν a Pythagora; ut media cæli ac terræ linea ducatur infra umbilicum, per id, quo diſcernitur homo, mas an femina ſit: ubi ortus humanus ſimilis, ut in mundo. Ubi enim omnia naſcuntur in medio, quod terra mundi media. Præterea, ſi quod medium, id eſt umbilicus, ut pila terræ: non Delphis medium. & terræ medium non hoc; ſed quod vocant Delphis in æde foramen. adlatum eſt quiddam, ut theſauri ſpeciem, quod Græci ὀμφαλὸν, umbilicum, dixerunt. Pacuvius, Calydonia altrix terra exuberantium virum. Ut ager Tuſculanus, ſic Calydonius, ager eſt, non terra; ſed lege poetica, quod terra Ætolia, in qua Calydon, a parte totam accipi Ætoliam voluit. Actius, Myſtica ad dextram per vada vecti. Myſtica a myſteriis, quæ ibi in propinqueis loceis nobilia ſunt. Ennius, Areopagitæ quid dedere aliud, quam pedam? Areopagitæ ab Areopago; is locus Athenis. Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum. Cælum dicunt Græci Olympum, montem eum in Macedonia omnes: quo potius puto dictas Muſas

Olympiadas. Ita enim ab terrestribus loceis cognominatæ Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades. Quasi Hellespontum, & claustra: quod Xerxes quondam eum locum clausit. Nam, ut ait Ennius, Isque Hellesponto pontem contendit in alto. Nisi ab eo, quod Asiam & Europam ibi concludit mare, & inter angustias facit Propontidis fauces. Pacuvius, Liqui in Ægeo freto. Dictum Fretum a similitudine ferventis aquæ: quod in fretum sæpe concurrat æstus, atque effervescat. Ægeum dictum ab insuleis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum, αἶγες. Pacuvius. (Æges) ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus. Æquor mare appellatum, quod æquatum, commotum vento non est. Ratis navis longa dicitur: ut Ennius, cum ait, Conferre aut ratem æratam qui perit, & qui dum mare sudantes eunt, atque sedentes. Ratis dicta navis longa propter remos, quod hi, cum per aquam sublati sunt dextra & sinistra, duas parteis efficere videntur. ratis enim, unde hoc translatum, illic ubi plures mali aut asseres.

Deest pagina.

Agrestis ab agro. Infulas dictas apparet in hostieis, quod velamenta e lana, quæ adduntur, Infulæ, intra hostiarum cornua velamenta erant. itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas. Cornuatam umbram jaci. Dicere apparet cornuatam a cornibus. Cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus. At quas memorat nosse vos esse Casme-

nas. Casmenarum priscum vocabulum, ita natum atque scriptum est: alibi Carmenæ. ab eadem origine sunt declinatæ. ut in multeis verbeis, in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R; ut in carmine Saliorum sunt hæc, Cosauli, Dolosi, Eso. Omina vero adpatula coemisse. Jam Cusiatii, Muses, Ruse, dumque Janus venet: post Melios, Melior: Fœdesum, Fœderum: Plusima, Plurima: Asena, Arena: Janitos, Janitor. Quare Casmena, Carmena: inde carmina. R postea extrito, Camena factum. Ab eadem voce canite, pro quo in Saliari carmine scriptum est Cante, hoc versu, Divum exta cante, divum Deo supplice cante. In carmine Priami apud Actium, quod est, Veteres casmenas cascas res volo profari. Et primum Cascum significat vetus. ejus origo Sabina, quæ usque radices in Oscam linguam egit. Cascum, vetus esse significat Ennius, cum ait, Quam primum casci populi genuere Latini. Eo magis Manilius quod ait, Cascum duxisse cascam, non mirabile est, quoniam canoras conficiebant nuptias. Item ostendit Papinii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam:

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
Casca Philotonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli.
Nam vere pusus tu, tua amica senex'st.

Item ostendit, quod oppidum vocatur Cassinum. Hoc enim a Sabineis orti Samnites tenuerunt, & nunc nostri; unde & Cassinum forum vetus. Item significant in Atellaneis aliquot pupum senem, quod Osci Casnar appellant. Apud Lucilium, Quid tibi

ego ambages Ambivi ſcribere coner? Profectum a verbo Ambe, quod eſt in ambitu & ambitioſo. Apud Valerium Soranum, Vetus adagio eſt, o P. Scipio. Quod verbum uſque ea evanuit, ut Græcum παροιμία, pro eo poſitum, magis ſit apertum. nam idem, quod vocant Græci παροιμίαν. ut, Auribus lupum teneo; Canis caninam non eſt. Adagio, & litera commutata Abagio, dicta ab eo, quod ambit orationem; neque in aliqua una re conſiſtit ſola. Ambagio dicta, ut Ambuſtum, quod circum uſtum eſt. ut Ambiegna bos apud augures, quam circum aliæ hoſtiæ conſtituuntur. Cum tria ſint conjuncta in origine verborum, quæ ſint animadvertenda, a quo ſit impoſitum, & in quo, & quid; ſæpe non minus de tertio, quam de primo dubitatur, ut in hoc: utrum primum una Canis, an Canes ſit appellata. dicta enim apud veteres, una canes. Itaque Ennius ſcribit, Tantidem quaſi feta canes ſine dentibus latrat. Lucilius, Nequam & magnus homo, laniorum immanis canes ut. Impoſitio unius debuit eſſe canis, plurium canes. Sed neque Ennius, conſuetudinem illam ſequens, eſt reprehendendus: neque is, qui nunc dicit, Canis caninam non eſt. Canes, quod latratu ſigna dant, ut ſigna canant, canes appellatæ: & quod ea voce indicant, quæ noctu latent, Latratus appellatus. Sic dictum a quibuſdam, ut una canes, una trabes remeis roſtrata per altum. Ennius, Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus Cæſa accidiſſet abiegna ad terram trabes. Cujus verbi ſingularis caſus recte correptus, ac facta trabs. In Medo Ennius, Cælitum Camilla exſpectata adve-

nis, ſalve hoſpita. Camilla: qui gloſſemata interpretati, dixerunt adminiſtram; addi oportet, in heis, quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Caſmillus, qui cummerum fert, in quo quid ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt. hinc Caſmillus nominatur in Samothraces myſteriis Dius quidam adminiſter Diis magneis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poemateis ejus inveni. Apud Ennium, Subulo finitimas propter aſtabat aquas: Subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tuſci. quocirca radices ejus in Etruria non Latio quærendum eſt. Verſus, quos olim Fauni vateſque canebant. Fauni, Dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios; in ſilveſtribus loceis traditum eſt ſolitos fari. a quo fando Faunos dictos. Antiquos poetas Vates appellabant a verſibus viendeis, ut in poemateis cum ſcribam, oſtendam. Corpore Tartarino prognata paluda virago. Tartarino, a Tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus, apud inferos quæ ſint, in heis unum Tartarum appellat: quare Tartari origo Græca. Paluda a paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, Paludatus dicitur proficiſci: quæ, propterea quod conſpiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, Paludamenta dicta. Plautus, Epeum fumificum cocum: ab Epeo illo, qui dicitur ad Trojam feciſſe equum Trojanum Argiveis, & apte cibum curaſſe. ideo ait Epeum fumificum, qui legioni noſtræ habet coctum cibum. Apud

Ennium, Atque prius pariet locuſta lucam bovem. Luca bos, elephas. cur ita ſit dicta, duobus modeis inveni ſcriptum. Nam & in C. Ælii commentario erat, a Libyceis Lucas: & in Verginii commentario, ab Lucaneis Lucas: ab eo, quod noſtri cum maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent bovem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidiſſent apud hoſteis elephantos, id eſt quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, ſunt cornua) lucam bovem appellaſſe. Si a Libya dictæ eſſent lucæ; pantheræ & leones, non Africanæ beſtiæ dicerentur, ſed lucæ. Si ab Lucaneis dictæ; urſi cur potius Lucani, quam Luci dicti? Quare ego arbitror, potius Lucas ab luce, quod longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres. Ennius, Orator ſine pace redit, regique refert rem. Orator ab oratione dictus. qui enim verba haberet orationum publice adverſus eum, quo legebatur, ab oratione Orator dictus: cum res majore ratione legebantur potiſſimum, qui cauſam commodiſſime orare poterant. Itaque Ennius ait, Oratores doctiloqui. Apud Ennium, Olli reſpondet ſuavis ſonus Egeriai. Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. quod alterum comitiis cum recitatur, a præcone dicitur olla centuria; non illa: alterum apparet in funeribus indictiveis, quom dicitur, Ollus leto datus eſt. quod Græcus dicit λήθη, id eſt, oblivioni. Apud Ennium, Menſas conſtituit, idemque ancilia. Ancilia dicta ab anciſu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, inciſa. Saturnio

in carmine, Libaque, fictores, Argeos, & tutulatos. Liba, quod libandi causa fiunt: Fictores dicti a fingendis libeis: Argei ab Argis. Argei fiunt e scirpeeis virgulteis, simulacra sunt hominum triginta: ea quotanneis a ponte sublicio a sacerdotibus publice jaci solent in Tiberim. Tutulati dicti hi, qui in sacreis in capitibus habere solent, ut metam. id Tutulus appellatur, ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos: sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant: sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, Tutulus vocatur. Eundem Pompilium Numam ait fecisse flamines: qui cum omnes sint a singuleis Deeis cognominati, in quibusdam apparent etyma. ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines; ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis: obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona. Apud Ennium, Jam cata signa fere sonitum dare voce parabant. Cata, acuta. hoc enim verbo Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus; non, ut ajunt, sapiens, sed acutus, & quod est, tunc cœpit memorari. Simul cata dicta, accipienda acuta dicta. Apud Lucilium, Thynno capto corvum excludunt foras, occiduntque lupos aperdite, & jura siluri. Sumerete atque amiam. Piscium nomina sunt, eorumque in Græcia origo. Apud Ennium, Quæque cæruleo freto orta nare cœpta.

Desunt quædam.

Cava cortina dicta, quod est inter terram & cælum ad similitudinem cortinæ Apollinis: ea a corde, quod inde sortes primum æstimatæ. Apud Ennium, Quin inde invicteis sumserunt perduellibus. Perduelles sunt hostes. ut perficit, sic Perduellum, Duellum: id postea bellum. Ab eadem causa facta Duellona, Bellona. Apud Plautum, Neque jugula, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt. Jugula signum est, quod Actius appellat Oriona, cum ait, Citius Orion patefit. hujus signi caput dicitur è stelleis quattuor, quas infra duæ claræ, quas appellant humeros. inter quas quod videtur jugulum: unde Jugula dicta. Vesperugo, stella, quæ vespere oritur, a quo etiam Opilius scribit vesperum. itaque dicitur, Alter vesper adest, quem dicunt Græci διέσπερον. Nævius patrem suum optimum, appellat supremum. Supremum a superrimo dictum. itaque in duodecim tabuleis, Solis occasu diei suprema tempestas esto. Libri augurum pro tempore Tempestatem dicunt, id est, supremum augurii tempus. In Cornicula, Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio. Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum: quos postea a stipatione Stipatores appellarunt, & qui conducebantur mercede. Ea enim Merces dicitur Græce *λάτρον, καὶ σάτρον.* Ab eo veteres poetæ nonnunquam milites appellant latrones, quod item uti milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas. Apud Nævium, Risi egomet Cassabundum ire ebrium. Cassabundum, a caden-

do. Item, Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco. Utrumque vocabulum Græcum. In Menæchmeis Plauti, Inter ancillas ſedere jubeas, lanam carere. Idem eſt hoc verbum in Coſmotria Nævii. Carere a carendo, quod eam tum purgant ac deducunt, ut careat ſpurcitia. Ex quo Carminari dicitur tum lana, cum caret eo, quod in ea eſt nequam. Eſt lana, quam in Romulo Nævius appellat Oſcam, ab Oſceis. In Perſa, Jam pol ille hic aderit credo congerro meus. Congerro a gerra, & Græcum eſt, & in Latina cratis. In Menæchmeis, Idem iſtuc alieis adſcriptiveis fieri ad legionem ſolet. Adſcriptivi dicti, quod olim adſcribebantur inermes, qui ſuccederent armateis militibus; id eſt, ſi quis eorum deperiſſet. In Trinummo, Nam illum tibi ferentarium. a ferendo, id eſt, inanem, ac ſine fructu: aut quod Ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum. Hujuſcemodi equites pictos vidi in Æſculapii æde vetere, & ferentarios adſcriptos. In Frivolaria, Ubi rorarii eſtis? en ſunt. ubi ſunt accenſi? ecce. Rorarii dicti a rore: qui bellum committebant ante; ideo quod ante rorat, quam pluit. Accenſos, miniſtratores Cato eſſe ſcribit. poteſt id ab arbitrio; nam inde ad arbitrium ejus, cujus miniſter. (Pacuvius Deum triportenta in Mercatore ponit.) Idem in Mercatore, Non tibi iſtuc magis dividia eſt, quam mihi hodie fuit. hæc eadem in Corollaria Nævii. Dividia a dividendo dicta, quod Diviſio diſtractio eſt doloris. Itaque in Curculione ait, Sed quid tibi eſt? lienes necant, renes dolent,

pulmones diſtrahuntur. In Phagone, Honos ſynceraſto perit. Synceraſtum eſt omne edulium antiquo vocabulo Græco. In Paraſito pigro, Domum ire cœpi tramite dextra via. Trames a tranſverſo dictus. In Fugitiveis, Age, euge, ſpecta, vide vibices quantas. Jam inſpexi, quid eſſent. Vibices, alii excitatum verberibus corpus. In Ciſtellaria, Non quaſi ut hæc ſunt heic, limaces lividæ. Limax, a limo, quod ibi vivit. Diobolares, ſcæniculæ, miraculæ. Diobolares, a bineis oboleis: Scæniculæ, ab ſcæno nugario unguento: Miraculæ, a mireis, id eſt monſtreis. a quo Actius ait, Perſonas diſtortas oribus deformeis, miriones. Ibidem, Scrantiæ, ſcrupedæ, ſtritabillæ, Tantalæ. Ab ſcreando Scrantiæ ſic adſignificat. Scrupedam Aurelius ſcribit Auſcaripedam. Juventius comicus dicebat a vermiculo piloſo, qui ſolet eſſe in fronde cum multeis pedibus. Valerius, a pede ac ſcrupea. Ex eo ab Actio poſitum, Incurioſa itaque es, Menalippe? Rejicis abs te religionem? ſcrupeam imponas. Stritabillas, a ſtritilando. Stritare ab eo, qui ſiſtit ægre. In Aſtraba, Actioſa annonam e vili concinna vireis. Ideo in Sitelitergo idem ait, Mulieres uxorculavit: ego novi, ſcio actioſas. quas ſic Claudius ſcribit actioſas demonſtrari ſuſpicatrices, ab agendo actioſas. Ut ab una faciendo, Factioſæ; ſic ab una agendo, Actioſæ dictæ. In Ceſtione, Ceraſtibola, ut de lumbo obcænabis. Ceraſtibola Opilius ſcribit circum coxendices ſunt nobis: id Græcum eſt ab hujus loci verſura. In Nervolaria, Scobinam ego illam actutum adraſi. Scobinam, a ſcobe. lima enim materia

fabrilis eſt. In Pœnulo, Vinceretis cervum curſu, vel grallatorem gradu. Grallator a gradu magno dictus. In Truculento, Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica. Præfica, ut Aurelius ſcribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret. Hoc factitatum Ariſtoteles ſcribit in libro, qui inſcribitur, Nomina Barbarica. quibus teſtimonium eſt, quod fretum eſt Nævii, Hæc quidem hercle opinor præfica eſt. nam mortuos conlaudat. Claudius ſcribit, dicta, quæ præficeretur ancilleis, quemadmodum lamentarentur, præfica eſt dicta. Utrumque oſtendit, a præfatione Præficam dictam. Apud Ennium, Decem coclites, quos montibus ſummeis ripeis ſedere. Ab oculo Cocles quaſi ocles dictus, qui unum haberet oculum. quocirca in Curculione eſt, De coclitum proſapia te eſſe arbitror. nam hi ſunt unoculi.

Nunc de temporibus dicam. Quod eſt apud Caſſium, Nocte intempeſta noſtram devenit domum. Intempeſta nox, dicta ab tempeſtate. Tempeſtas ab tempore: intempeſta nox, quo tempore nil agitur. Quid noctis videtur? in altiſſimo cæli clypeo temo ſuperat ſtellas ſublime cogens etiam atque etiam noctis iter. Hic multam noctem oſtendere vult a temonis motu. Sed temo unde & cur dicatur, latet. Arbitror antiquos ruſticos primum notaſſe quædam in cælo ſigna, quæ præter alia erant inſignia, atque ad aliquem uſum culturæ tempus deſignandum convenire advertebantur. E queis ſigna ſunt, quod has ſeptem ſtellas Græci, ut Homerus vocat ἅμαξαν, & propinquum ejus ſignum, βοώτην: noſtri eas ſeptem

ſtellas, boves, & triones, & prope eas axem. Triones enim, & boves appellantur a bubulceis etiam nunc, maxime cum arant terram: e queis ut dicti valentes, Glebarii, qui facile proſcindunt glebas; ſic omnes, qui terram arabant, a terra Teriones; unde Triones, ut dicerentur a detritu. Temo dictus a tenendo: is enim continet jugum. & plauſtrum appellatum, a parte totum, ut multa. Poſſunt triones dici ſeptem, quod ita ſitæ ſtellæ, ut terna trigona faciant. Aliquod lumen jubarve in cœlo cerno? Jubar dicitur ſtella lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumen, ut leo in capite jubam. Hujus ortus ſignificat circiter eſſe extremam noctem. Itaque ait Pacuvius, Exorto jubare, noctis decurſo itinere. Apud Plautum in Paraſito Pigro, Inde hic bene potus primo crepuſculo. Crepuſculum dictum a Sabineis, & id dubium tempus, noctis an diei ſit. Itaque in Condalio eſt, Tam crepuſculo, fere ut ament lampadas accendere. Ideo dubiæ res, Creperæ dictæ. In Trinummo, Concubium ſit noctis prius, quam ad poſtremum perveneris. Concubium a concubitu, dormiendi cauſa dictum. In Aſinaria, Videbitur, factum volo. at redito conticinio. Conticinium puto a conticeſcendo dictum, ſive (ut Opilius ſcribit) ab eo, quod conticuerunt homines.

Nunc de heis rebus, quæ adſignificant aliquod tempus, cum dicuntur aut fiunt, dicam. Apud Actium, Reciproca tendens nervo equino concita tela. Reciproca eſt, cum unde quid profectum, redit eo; quod ab recipere Reciprocare fictum; aut quod poſcere Procare dictum. Apud Plautum, Ut tranſ-

verſus non proverſus cedit, quaſi cancer ſolet. Dicitur ab eo, qui in id quod eſt verſus. & ideo qui exit in veſtibulum, quod eſt ante domum, Prodire & Procedere dicitur. quod cum leno non faceret, ſed ſecundum parietem tranſverſus iret; dixit, Ut tranſverſus cedit, quaſi cancer; non proverſus, ut homo. Apud Ennium, Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit. Item, Quapropter Parim paſtores nunc Alexandrum vocant. Imitari dum voluit Euripidem, & ponere etymon, eſt lapſus. Nam Euripides quod Græca poſuit, etyma ſunt aperta. Ille ait, ideo nomen additum Andromachæ, quod ἀνδρὶ μάχεται. hoc Ennii quis poteſt intelligere in verſu ſignificare, Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit? Aut Alexandrum ab eo appellatum in Græcia, qui Paris fuiſſet? A quo Herculem quoque cognominatum ἀλεξίκακον, ab eo, quod defenſor eſſet hominum. Apud Actium, Jamque auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante ſolis ortum, ab eo, quod ab igne ſolis tum aureo aer aureſcit. Quod addit Rutilare, eſt ab eodem colore. Aurei enim Rutili: & inde etiam mulieres valde rufæ Rutilæ dictæ. Apud Terentium, Scortatur, potat, olet unguentum de meo. Scortari, eſt ſæpius meretriculam ducere; quæ dicta a pelle. Id enim non ſolum antiqui dicebant Scortum, ſed etiamnunc dicimus Scortea ea, quæ ex corio & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacreis ac ſacelleis ſcriptum habemus, Ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo ne morticinium quid adſit. In Atellaneis licet animadvertere, ruſticos dicere ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam. Apud

Actium, Multeis nomen vestrum numenque ciendo. Numen dicunt esse imperium, dictum ab nutu. omnia sunt ejus, cujus imperium maximum esse videatur. Itaque in Jove hoc, & Homerus, & aliquotiens Livius. Apud Plautum, Si unum epityrum edam apud illum esuriens insane bene. Epityrum vocabulum est cibi, quo frequentius Sicilia, quam Italia, usa. Idem vehementer cum vellet dicere, dicit Insane: quod insani faciunt omnia vehementer. Apud Pacuvium, Flexanima tanquam lymphata. Dicitur a lympha Nympha: ut apud Græcos Thetis. Apud Ennium, Ea Thetis illi mater. In Græcia commota mente, quos λυμφολήπτους appellant; ab eo Lymphatos dixerunt nostri. Bacchus Liber, cujus comites Bacchæ: & vinum in Hispania Baccha. origo in heis omnibus Græca. Apud Pacuvium, Halcyonis ritu litus pervolgans furor. Hæc enim avis nunc Græce dicitur ἀλκυὼν, a nostreis Halcedo: hæc hieme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies Halcyonios appellant. Quod est in versu, Halcyonis ritu: id est, ejus instituto. ut cum Haruspex præcipit, ut suo quisque ritu sacrificium faciat: & nos dicimus duodecim viros Græco ritu sacra, non Romano, facere. Quod enim fit rite, id ratum ac rectum: ab eo Actius recte perfecteis sacreis vult accipi. Apud Ennium, Si voles advortere animum, comiter monstrabitur. Comiter, hilare ac lubenter; cujus origo Græce κῶμος: inde Latina comissatio dicta, & a Græceis (ut quidam dicunt) Comœdia. Apud Atilium: Cape, cæde Lyde, come, conde. Cape, unde Accipe, sed hoc

in proximo libro retractandum. Apud Pacuvium, Nulla res neque cicurare, neque mederi potis eſt, neque reficere. Cicurare, manſuefacere. quod enim a fero diſcretum, id dicitur Cicur: & ideo dictum, Cicur ingenium obtineo, manſuetum. a quo Veturii quoque nobiles cognominati Cicurini. Id natum a cico. Cicum dicebant membranam tenuem, quæ eſt in malo Punico diſcrimen. a quo etiam Plautus dicit, Quod volet denſum cicum non interduo. Apud Nævium, Eccum venire video ferme injuria. Ferme dicitur, quod nunc fere. utrumque dictum a ferendo, quod id, quod fertur, eſt in motu, atque adventat. Apud Plautum, Euax jurgio uxorem tandem abegi ab janua. Euax verbum nihil ſignificat, ſed effutitium naturaliter eſt. ut apud Ennium, Hehe ipſe clypeus cecidit. Apud Nævium, Eheu mea puella, ſpe quidem is ſuccenſet tibi. Apud Pompilium, Heu qua me cauſa fortuna infeſta premis? Quod ait Jurgio, id eſt, litibus. Itaque quibus erat in controverſia, ea vocabatur Lis: ideo in actionibus videmus dici, Quam rem ſive litem dicere oportet. Ex quo licet videre, Jurgare ab jure dictum: cum quis jure litigaret. a quo Objurgat is, qui id facit injuſte. Apud Lucretium, Atque aliquos ibi ab rebus clepſere foro. Qui clepſere dixit, unde etiam alii Clepere: id eſt, corripere; quorum origo a clam, ut ſit dictum clapere, & ex E, A commutato, ut multa, eſt factum clepere. Poteſt & a Græco dictum κλέπτειν. Apud Matium, Corpora Grajorum mærebar mandier igni. Dictum Mandier a mandendo, unde manducari. a quo in

Atellaneis obſonium vocant Manducum. Apud Matium, Obſcæni interpres, funeſtique ominis auctor. Obſcænum dictum ab ſcæna. ea ut Græci. ut Actius ſcribit, ſcena. In pluribus verbeis A ante E alii ponunt, alii non. ut quod partim dicunt Scæptrum, partim dicunt Sceptrum; alii Fænus, alii Fenus: ſic Fæniſicia, & Feniſicia. a quo ruſtici pappum Mæſum, non meſum. A quo Lucilius ſcribit, Cæcilius ne ruſticus fiat. Quare turpe, id obſcænum; quod niſi in ſcæna palam dici non debet. Poteſt vel ab eo, quod puereis turpicula res in collo quædam ſuſpenditur, ne quid obſit, bonæ ſcævæ cauſa. inde Scævola appellatus. Ea dicta ab ſcæva, id eſt, ſiniſtra: quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve quid ſit, dici ave ſiniſtra, quæ nunc eſt. id a Græco eſt, quod hi ſiniſtram vocant σκαιάν. quare quod dixi ſcævum, bonum omen eſt: obſcænum vero, turpe. quod inde dicitur obſcæne, quod exotericum. Apud Plautum, Quia ego antehac te amavi, & mihi amicam eſſe crévi. valet, conſtitui. Itaque heres, cum conſtituit ſe heredem eſſe, dicitur Cernere, & cum id fecit, creviſſe. Apud eundem, Quo de ſinu frequentem operam dediſtis. valet adſiduam. Itaque qui adeſt, adſiduus: ferre quem quæ oportet, is frequens. opponi ſolet itaque. Illud quod eædem mulierculæ dicunt, Pol iſtoc quidem nos pretio tanti eſt frequentare: ita in prandio nos lepide ac nitide accepiſti. Apparet dicere facile eſt, curare ut adſimus, cum tam bene nos accipias. Apud Ennium,

Decretum eſt foſſare corpora teleis. hoc verbum Ennii, dictum a fodiendo: a quo Foſſa. Apud Ennium, Vocibus concide: fac ſiet obrutus.

Deſunt quædam.

Muſſare dictum, quod muti non amplius quam μῦ dicunt. a quo idem dicit, Quod minimum eſt, neque ut ajunt, μῦ facere audet. Apud Pacuvium, Dii monerint meliora, atque amentiam averruncaſſint. A vertendo Averruncare; ut Deus, qui iis rebus præeſt, Averruncus. Itaque ab eo precari ſolent, ut pericula avertat. In Aulularia, Pipulo te differam ante ædeis. id eſt, convicio, declinatum a pipatu pullorum. Multa ab animalium vocibus translata in homines: partim quæ ſunt aperta, partim obſcura. Perſpicua, ut Ennii, Animus cum pectore latrat. Plauti, Gannit odioſus omni totæ familiæ. Cæcilii, Tantam rem dibalare, ut pro nihilo habuerit. Lucilii, Hæc, inquam, rudet ex roſtreis, atque hinnilitabat. Ejuſdem, Quantum hinnitum atque equitatum. Cum minus aperiant: Porcii ab lupo, volutare ululantis. Ennii a vitulo, Tibicina maximo labore mugit. Ejuſdem a bove, Clamore bovantes. Ejuſdem a leone, Pauſam fecere fremendi. Ejuſdem ab hædo, Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit. Et a frendice, Frunde frutimi ſuaviter. M. Actius in Caſina a fringuilla, Quid fringutis? quid iſtuc tam cupide cupis? ſues avolverat. Ita trude neque in re, neque in judicium Æſopi, nec theatrales. In Colace, Nexum. Manilius ſcribit, omne quod per libram & æs geritur, in quo ſint mancipi: Mucius Scævola,

quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quæritur. Nam idem quod obligatur per libram, neque suum sit, inde Nexum dictum. Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret, Nexus vocatur, ut ab ære Obæratus. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore sublatum ne fieret; & omneis, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti. In Casina, Sine amet, sine, quod lubet, id faciat: quando tibi nil domi deliquium est. Deliquium dictum ab eo, quod deliquatur: ut turbida quæ sunt, deliquantur, ut liquida fiant. Aurelius scribit, deliquium esse a liquido: Claudius, ab eliquato. Si quis alterutrum sequi malit, habebit auctorem Cæcilium, Per lætitiam liquitur animus. Aliquando liquitur fictum. Multa apud poetas reliqua esse verba, quorum origines possunt dici, non dubito; ut apud Nævium in Esiona. Enimvero gladii lingula a lingua. In Clastidio, Vitulantes, a vitula. In Duloreste, Caperata fronte, a capræ fronte. In Demetrio, Persibus aperite. Itaque sub hoc glossema callide subscribunt. In Lampadione, Protinam a protinus continuitatem significans. In Agidone, Candacus suavis tametsi, a magistreis accepimus mansuetum. In Romulo, Sponsus contra sponsum rogatus. In Stigmatia, Præbia a præbendo, ut sit tutum: quod sint remedia in collo puereis. In Therimo, Confictitant, a conficto convenire dictum. In Tarentilla Pacuvii, Ab luce Inlustre. In Tunicularia, Exbolas quassant, ejiciunt. a Græco verbo ἐκβολὴ dictum.

In Bello Punico, Nec ſatis reſarrire, ab ſerra dictum, id eſt aperire. Hinc etiam Seræ, quibus remoteis fores panduntur. Sed vereor, ne plures ſint futuri, qui de hoc genere me, quod nimium multa ſcripſerim, reprehendant; quam quod reliquerim quædam, accuſent. ideo potius jam reprimendum, quam producendum puto eſſe volumen. Nemo reprehenſus, qui e ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. Quare inſtituteis ſex libreis, quemadmodum rebus Latina nomina eſſent impoſita ad uſum noſtrum, e queis treis ſcripſi P. Septimio, qui mihi fuit quæſtor; treis tibi, quorum hic eſt tertius; priores de diſciplina originis verborum, poſteriores de verborum originibus: in illeis, qui ante ſunt, in primo volumine eſt, quæ dicantur, cur etymologice neque ſit, neque ea utilis ſit: in ſecundo, quæ ſit, & cur ea ſit, & in illeis ſit: in tertio, quæ forma etymologiæ. In ſecundeis tribus, quos ad te miſi, item generatim diſcreteis, primum, in quo ſunt origines verborum, locorum, & earum rerum, quæ in locis eſſe ſolent: ſecundum, quibus vocabuleis tempora ſint notata, & hæ res, quæ in temporibus fiunt. Tertius hic, in quo a poeteis item ſumta utilia, quæ dixi in duobus libreis ſoluta oratione. Quocirca, quoniam omnis operis de lingua Latina treis feci partes: prima, quemadmodum vocabula impoſita eſſent rebus; ſecunda, quemadmodum ea in caſus declinantur; tertia, quemadmodum conjungerentur: prima parte perpetrata, ut ſecundam ordiri poſſimus, huic libro faciam finem.

M. TERENTII VARRONIS
DE LINGUA LATINA
LIBER SEPTIMUS.

Quom oratio natura tripartita eſſet, ut ſuperioribus libreis oſtendi, ejus prima pars, quemadmodum vocabula rebus eſſent impoſita; ſecunda, quo pacto de heis declinata in diſcrimina ierunt; tertia, ut ea inter ſe ratione conjuncta ſententiam efferant; prima parte expoſita, de ſecunda incipiam hinc. Ut propago omnis natura ſecunda; quod prius illud rectum, unde ea ſit declinata: ita declinatur in verbeis rectum Homo: obliquum Hominis, quod declinatum a recto. De hujuſce multiplici natura diſcriminum oræ ſunt hæ: cur, & in quo, & quemadmodum in loquendo declinata ſunt verba. De quibus duo prima duabus cauſeis percurram breviter: quod & tum, cum de copia verborum ſcribam, erit retractandum; & quod, de tribus tertium quod eſt, habet ſuas permultas ac magnas parteis.

Declinatio inducta in ſermones non ſolum Latinos, ſed omnium hominum, utili & neceſſaria de

caufa. Nifi enim ita effet factum, neque dicere tantum numerum verborum poffemus: infinitæ enim funt naturæ, in quas ea declinantur: neque quæ didiciffemus ex heis, quæ inter fe rerum cognatio effet, appareret. At nunc ideo videmus, quod fimile eft, quod propagatum. legi, ut declinatum eft a lego: duo fimul apparent quodammodo; eadem dici, & non eodem tempore factum. Ut fi verbi gratia alterum horum diceretur Priamus, alterum Hecuba; nullam unitatem adfignificaret, quæ apparet in Lego & legi, & in Priamus Priami. Ut in hominibus quædam funt cognationes, & gentilitates; fic in verbeis. Ut enim ab Aimilio homines orti Aimilii, ac gentiles; fic ab Aimilii nomine declinatæ voces in gentilitate nominali. Ab eo enim, quod eft impofitum recto cafu Aimilius, orta, Aimilii, Aimilium, Aimilios, Aimiliorum; & fic reliqua, ejufdem quæ funt ftirpis. Duo igitur omnino verborum principia, impofititiorum & declinatorum: alterum, ut fons, alterum ut rivus. Impofititia nomina effe voluerunt quam pauciffima, quo citius edifcere poffent: declinata quamplurima, quæ iftoc opere facilius omnes, quibus opus effent, difcerent. Ad illud genus, quod prius, hiftoria opus eft. nifi defcendendo enim, aliter id non pervenit ad nos: ad reliquum genus, quod pofterius, ars; ad quam opus eft pauceis præcepteis, quæ funt brevia. Quæ enim recte in uno vocabulo declinare didiceris; in infinito numero nominum uti poffis. Itaque noveis nominibus adlateis in confuetudinem, fine dubitatione eorum declinatus ftatim omnis di-

cit populus. etiam novitii servi emti in magna familia, cito omnium conservorum omnis recto casu accepto in reliquos obliquos declinant. Qui si nonnunquam offendunt, non est mirum: etenim illi, qui primi nomina imposuerunt rebus, forsitan in quibusdam sunt lapsi. Voluisse enim putant singulareis res notare, ut ex iis in multitudine declinarentur; ut est ab Homine Homines, sic mares liberos voluisse notari, ut ex heis feminæ declinarentur: ut est a Terentio Terentia: sic in recto casu, quas imponerent voces, ut illinc essent futuræ quæ declinarentur: sed hæc in omnibus tenere nequisse. quod & una dicuntur scopæ, & mas & femina aquila; & recto & obliquo vocabulo vis. Cur hæc non tam sint in culpa, quam putant plerique, solvere non difficile, sed nunc non necesse. non enim quod non potuerunt adsequi, sed quod voluerunt, ad hoc, quod propositum, refert. Quod nihilo minus declinari potest ab eo, quod imposuerunt scopæ, scopa; quam si imposuissent scopa, ab eo scopæ. sic alia. Causam, quare ab impositeis nominibus declinarint, ostendi. Sequitur, in queis voluerint declinare aut noluerint; generatim ac summatim; item in formeis. Duo enim genera verborum: unum fecundum, quod declinando multas ex se parit dispparileis formas, ut est lego, legis, legam, sic alia: alterum genus sterile, quod ex se parit nihil. ut est etiam, vix, magis, cras, cur. Quarum rerum usus erat simplex; ibi etiam vocabuli declinatus. ut in qua domo unus servus, uni servolo post nomen; in qua multi, pluribus.

Igitur & in heis rebus, quorum ſunt nomina, quod diſcrimina vocis plura, propagines plures. In heis rebus quæ copulæ ſunt, ac heis junguntur verba, quod non opus fuit declinari in plura, fere ſingula ſunt. Uno enim loro colligare poſſis vel hominem, vel equum, vel aliud quod, quidquid eſt, quod cum altero poteſt colligari. Sic quod dicimus in loquendo, Conſul fuit Tullius & Antonius: eodem illo & omneis binos conſules colligare poſſumus. Vel dicam amplius, omnia nomina, atque ideo etiam omnia verba; (cum fiunt tunc ex una ſyllaba, illud & maneat unum.) Quare duce natura, ſi quæ impoſita eſſent vocabula rebus:

Multa deſunt.

Ne ab omnibus heis declinatus putarent; quorum generum declinationes oriuntur. Partes orationis ſunt duæ, ſi item ut Dion, in treis diviſerimus partes res, quæ verbeis adſignificantur. una, quæ adſignificat caſus: altera, quæ tempora: tertia, quæ neutrum. De heis Ariſtoteles duas partes orationis eſſe dicit, vocabula & verba; ut homo & equus, & legit & currit. Utriuſque generis & vocabuli & verbi, quædam priora, quædam poſteriora. priora, ut homo ſcribit; poſteriora, ut doctus & docte. dicitur enim Homo doctus, & Scribit docte. Hæc ſequitur & locus & tempus; quod neque homo, neque ſcribit, poteſt ſine loco & tempore eſſe: ita ut magis ſit locus homini conjunctus, tempus ſcriptioni, cum de heis nomen ſit primum. Prius enim nomen eſt, quam verbum temporale: & reliqua poſterius, quam nomen & ver-

bum. Prima igitur nomina. Quare de eorum declinatione, quam de verborum, ante dicam. Nomina declinantur, aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sunt, ut a Terentius, Terentii: aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt, ut ab equo, Equito. In sua discrimina declinantur, aut propter ipsius rei naturam, de quo dicuntur, aut propter illius, qui dicit. Propter ipsius rei discrimina, aut a toto, aut a parte. A toto, ut ab homine Homunculus, a capite Capitulum: propter multitudinem, ut ab homine Homines; ab eo, quod alii dicunt Cervices, & id Hortensius in poemateis cervix. Quæ a parte declinata, aut a corpore, ut a mamma Mammosa, a manu Manubiæ: alia ab animo, ut a prudentia Prudens, ab ingenio Ingeniosus. hæc sine agitationibus: aut ubi motus majores. Item ab animo, ut ab strenuitate & nobilitate, Strenui & Nobiles. Sic a pugnando & currendo, Pugiles & Cursóres. Ut aliæ declinationes ab animo, aliæ a corpore: sic aliæ, quæ extra hominem: ut Pecuniosi, Agrarii; quod foris pecunia & ager propter eorum, quam dicuntur. Sunt declinati casus, ut is, qui de altero diceret, distinguere posset, cum vocaret, cum daret, cum accusaret: sic alia quidem discrimina, quæ nos & Græcos ad declinandum duxerunt. Sine controversia sunt hi quinque. Quis vocetur, ut Hercules; Quemadmodum vocetur, ut Hercules; Quo vocetur, ut ad Herculem; Cui vocetur, ut Herculi; Cujus vocetur, ut Herculis. Propter ea verba, quæ erant proinde ac cognominata, ut prudens, candidus, stre-

nuus; quod in heis præterea ſunt diſcrimina propter incrementum, quod majus vel minus in heis eſſe poteſt: adceſſit declinationum genus, ut a candido, candidius, candidiſſimum: ſic a longo, divite, id genus aliis, ut fieret. Quæ in eas res quæ extrinſecus declinantur, ſunt, ab equo Equile, ab ovibus Ovile: ſic alia. hæc contraria illeis, quæ ſupra dicta, ut a pecunia Pecunioſus, ab urbe Urbanus, ab atro Atratus: ut nonnunquam ab homine locus, ab eo loco homo: ut a Romulo Roma, a Roma Romanus. Aliquot modeis declinata ea, quæ foris. nam aliter qui a majoribus ſueis Latonius & Priamides: aliter quæ a facto, ut a prædando Præda, a merendo Merces. Sic alia ſunt, quæ circum ire non difficile: ſed genus jam videtur, & alia urgent: omitto. In verborum genere, quæ tempora adſignificant, quod ea erant tria, præteritum, præſens, futurum; declinatio facienda fuit triplex, ut ſaluto, ſalutabam, ſalutabo. Cum item perſonarum natura triplex eſſet, qui loqueretur, de quo, ad quem; hæc ab eodem verbo declinata, quæ in copia verborum explicabuntur. Quoniam dictum de duabus declinationibus, cur & in qua ſit forma; tertium quod relinquitur, quemadmodum, nunc dicetur, Declinationum genera ſunt duo, Voluntarium, & Naturale: voluntarium eſt, quo, ut cujuſque tulit voluntas, declinavit. Sic tres cum emerunt Epheſi ſingulos ſervos; nonnunquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit: Artemidorus, atque Artemam appellat: alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Jonia, Jonam; aut ab urbe Epheſo,

Epheſium: ſic alius ab aliqua alia re, ut viſum eſt. Contra naturalem declinationem dico, quod non a ſingulorum oritur voluntate, ſed a communi conſenſu. Itaque omnes impoſiteis nominibus, eorum item declinant caſus; atque eodem modo dicunt hujus Artemidori, & hujus Jonæ, & hujus Epheſii: ſic in aliis caſibus. Cum utrumque nonnunquam accidat, & ut in voluntaria declinatione animadvertatur natura, & in naturali voluntas, quæ cujuſmodi ſint, aperietur infra. Quod utraque declinatione alia fiunt ſimilia, alia diſſimilia, de eo Græci Latinique libros fecerunt multos; partim cum alii putarent in loquendo ea verba ſequi oportere, quæ a ſimilibus ſimiliter eſſent declinata, quas appellarunt ἀναλογίας: alii cum id neglegendum putarent, ac potius ſequendam συνήθειαν diſſimilitudinemque, quæ in conſuetudine eſt: quam etiam vocant ἀνομαλίαν: cum, ut ego arbitror, utrumque ſit nobis ſequendum; quod in declinatione voluntaria ſit ἀνομαλία, in naturali magis analogia. De quibus utriuſque generis declinationibus libros faciam bis ternos: prioreis treis de earum declinationum diſciplina; poſterioreis, ex ejus diſciplinæ propaginibus. De prioribus primus erit hic: quæ contra ſimilitudinem declinationum dicantur. Secundus, quæ contra diſſimilitudinem. Tertius de ſimilitudinum forma. de quibus quæ experiero, ſinguleis tribus; tum de altereis totidem ſcribere ac dividere incipimus.

Incipiam, quod hujuſce libri eſt, dicere contra eos, qui ſimilitudinem ſequuntur: quæ eſt, ut in

ætate puer ad ſenem, puella ad anum; in verbeis, ut eſt ſcribo, ſcribam, dico, dicam. prius contra univerſam analogiam; tum de ſinguleis partibus a natura ſermonis incipiam. Omnis oratio cum debeat dirigi ad utilitatem, ad quam tum denique pervenit, ſi eſt aperta & brevis; quæ petimus, quod obſcurus & longus orator eſt odio; & cum efficiat aperta, ut intellegatur; brevis, ut cito intellegatur; & apertam conſuetudo, brevem temperantia loquentis: & utrumque fieri poſſit ſine analogia: nihil ea opus eſt. Neque enim utrum Herculi an Herculis clavam dici oporteat, ſi doceat analogia, cum utrumque ſit in conſuetudine, non neglegendum; quod æque ſunt & brevia & aperta. Præterea, quod is utilitatis cauſa quæque res ſit inventa; ſi ex ea quis id ſit conſecutus, amplius eam ſcrutari non debet, cum ſit nimium otioſi. & cum utilitatis cauſa verba ideo ſint impoſita rebus, ut ea ſignificent; ſi id conſequimur una conſuetudine, nihil prodeſt analogia. Accedit, quod quæcunque uſus cauſa ad vitam ſint adſumta, in heis utilitatem quærere, non ſimilitudinem. itaque in veſtitu, cum diſſimillima ſit virilis toga tunicæ muliebri, ſtola pallio; tamen inæqualitatem hanc ſequimur nihilo minus. In ædificiis, quod non videmus habere atrium περίϛυλον, ſimilitudinem, & cubiculum ad æquale; cum tamen propter utilitatem in heis diſſimilitudines potius, quam ſimilitudines, ſequamur. itaque & hiberna triclinia & æſtiva, non item valvata & feneſtrata facimus. Quare cum in veſtitu, ædificiis, ſic in ſupellectile,

cibo, cetereis omnibus, quæ uſu ad vitam ſunt adſumta, dominetur inæqualitas; in ſermone quoque, qui eſt uſus cauſa conſtitutus, ea non repudianda. Quod ſi quis duplicem putat eſſe ſummam, ad quas metas naturæ ſit perveniendum in uſu, utilitatis & elegantiæ: quod non ſolum veſtiti eſſe volumus, ut vitemus frigus, ſed etiam ut videamur veſtiti eſſe honeſte: non domum habere, ut ſimus in tecto & tuto ſolum, quod neceſſitas contruſerit; ſed etiam ubi voluptas retineri poſſit: non ſolum vaſa ad victum habilia, ſed & figura bella, atque ab artifice: quod aliud homini, aliud humanitati ſatis eſt. Quodvis ſitienti poculum homini idoneum; humanitati niſi bellum, parum. ſed cum diſceſſum eſt ab utilitate ad voluptatem, tamen in eo ex diſſimilitudine plus voluptatis, quam ex ſimilitudine, ſæpe capitur. quo nomine & gemina conclavia diſſimiliter pollent, & lectos non omneis pareis magnitudine ac figura faciunt. Quod ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile; omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut ſine eo, nec tum ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem: neque potius delectaremur ſupellectile, diſtincta quæ eſſet ex ebore, aliiſque rebus diſparibuſque figureis, quam grabateis analogeis; cum ad ſimilem formam plerumque eadem materia fiunt. Quare aut negandum, nobis diſparia eſſe jucunda; aut quoniam eſſe neceſſe eſt confiteri, dicendum, verborum diſſimilitudinem, quæ ſit in conſuetudine, non eſſe vitandam. Quod ſi analogia nobis ſequenda eſt: aut ea nobis ob-

ſervanda eſt, quæ eſt in conſuetudine; aut quæ non eſt. ſi ea, quæ eſt, ſequenda eſt; præcepteis nihil opus eſt: quod cum conſuetudinem ſequemur, ea nos ſequetur. ſi, quæ non eſt in conſuetudine, ſequemur; ut quiſque duo verba in quattuor formeis finxerunt ſimiliter, quamvis hæc nollemus, tamen erunt ſequenda: ut, Juppiter, Marſpiter: quas ſi quis ſervet analogias, pro inſano ſit reprehendendus. non ergo eſt ea ſequenda. Quod ſi oportet, ut a ſimilibus ſimiliter omnia declinentur verba, ſequitur, ut ab heis ſimilibus ſimilia debeant fingi. quod non fit: nam & a ſimilibus alia fiunt ſimilia, alia diſſimilia: & a diſſimilibus partim ſimilia, partim diſſimilia. A ſimilibus ſimilia, ut a bono ac malo, bonum, malum. A ſimilibus diſſimilia, ut a lupus, lepus; lupo, lepori. Contra a diſſimilibus diſſimilia, ut Priamus Paris, Priamo Pari. A diſſimilibus ſimilia, ut Juppiter Jovis, & Jovis Jovis. Eo etiam magis *ἀναλογικῶς* diſſimilia finguntur, ſed etiam ab iiſdem vocabuleis diſſimilia: neque a diſſimilibus ſimilia, ſed etiam eadem. Ab iiſdem vocabuleis diſſimilia fingi apparet, quod cum duæ ſint Albæ, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenſes: cum trinæ fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienſes, a tertia Athenæopolitæ. Si ex diverſeis verbeis multa facta, in declinando inveniuntur eadem: ut cum dico a luo, luam, & abluo, abluam. Omnia fere noſtra liberalia & muliebria multitudinis, cum recto caſu fiunt diſſimilia, cum dandei caſu, ſimilia. ut mares Terentii, feminæ Terentiæ: eadem in dandei,

vireis Terentiis, & mulieribus Terentiis. Dissimilia, Plautus & Plautius: & communia, hujus Plauti, & hujus Plautii. Denique si est analogia, quod in multeis verbeis est similitudo verborum: sequitur, quod in pluribus est dissimilitudo: ut non sit in sermone sequenda analogia. Postremo, si est in oratione, aut in omnibus ejus partibus est, aut in aliqua: & in omnibus non est: in aliqua esse parum est: ut album esse Æthiopem, non satis est quod habet candidos dentes. non est ergo analogia. Cum a similibus verbeis, quæ declinantur, similia fore pollicentur, qui analogias esse dicunt, & cum simile tum denique dicentes se ostendere ex verbo verbum, quod ex eodem sit genere, eadem figura transitum de casu in casum similiter ostendi possit. Qui hæc dicunt, utrumque ignorant, & in quo loco similitudo debeat esse, & quemadmodum spectari soleat, simile sit necne. quæ cum ignorant, sequitur, ut cum analogiam dicere non possint, sequi debeamus. Quæro enim, verbum utrum dicant vocem, quæ ex syllabeis est ficta, eam, quam audimus; an quod eam significat, quam intellegimus; an utrumque. si vox voci esse debet similis, nihil refert, quod significat, mas an femina sit; & utrum nomen, an vocabulum sit. quod illi interesse dicunt. Sin illud quod significatur, debet esse simile, Diona & Theona, quos dicunt esse ipsi pæne geminos, inveniuntur esse dissimiles: si alter erit puer, alter senex, aut unus albus, alter Æthiops: item aliqua re alia dissimiles. Sin ex utraque parte debeat verbum esse simile: non cito invenie-

tur, quin in alterutra re claudicet. nec Perperna & Alphena erit ſimile: quod alterum nomen virum, alterum mulierem ſignificat. Quare quoniam ubi ſimilitudo eſſe debeat, nequeunt oſtendere: impudentes ſunt, qui dicunt eſſe analogias.

Alterum illud, quod dixi, quemadmodum ſimile exſpectari oporteret, ignorare apparet ex eorum præcepto, quod dicunt, cum tranſierit e nominandei caſibus in eos, quos appellant vocandei, tum denique poſſe dici rectos eſſe ſimileis aut diſſimileis. eſſet enim, ut ſi quis Menæchmos geminos cum videat, dicat, ſe non poſſe judicare diſſimileſne ſint, niſi qui ex heis ſint nati, conſiderarit: nunc diſcrepant inter ſe. nihil, inquam, quo magis minuſve ſit ſimile, quod conferas cum altero, ad judicandum extrinſecus oportet ſumi. Quare cum ignorent, quemadmodum ſimilitudo debeat ſumi, de analogia dicere non poſſunt. Hæc apertius dixiſſem, niſi brevius eo nunc mallem; quæ infra ſunt, planius uſurpanda. Quare quod ad univerſam verborum naturam attinet, hæc attigiſſe modo ſatis eſt. Quod ad parteis ſingulas orationis, deinceps dicam. quarum vis, quoniam ſunt diviſiones plures, nunc ponam potiſſimum in quæ dividitur. Oratio ſervanda, ut natura, in quattuor parteis: unam, quæ habet caſus; alteram, quæ habet tempora; & tertiam, quæ habet neutrum; & quartam, in qua eſt utrumque. Has vocant quidam, appellandei, dicendei, adminiculandei, jungendei. Appellandei dicitur, ut homo, & Neſtor: dicendei, ut ſcribo, & lego: jungendei, ut atque: adminiculandei, ut do-

cte, & commode. Appellandei partes sunt quattuor: e queis dicta a quibusdam provocabula, quæ sunt, ut quisque: vocabula, ut scutum, gladius: nomina, ut Romulus, Remus: pronomina, ut hic, hæc. Duo media dicuntur nomina; prima & extrema, articuli. Primum genus est infinitum: secundum, ut infinitum; tertium, ut effinitum: quartum, finitum. Hæc sigillatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum. Sexum, utrum virile, an muliebre, an neutrum sit: ut doctus, dòcta, doctum. Multitudinem, unum, an plura significet: ut hic, hi, hæ. Casum, utrum recto sit, ut Marcus; an obliquo, ut Marco; an communi, ut Jovis. Heis dicteis partibus, singulas prospice, quo facilius nusquam esse analogias, quas sequi debeamus, videas. Nempe esse oportebat vocis formas ternas, ut in hoc, humanus, humana, humanum. sed habent quædam binas, ut cervus, cerva: quædam singulas, ut aper, & sic multa. non ergo est in hujuscemodi generibus analogia. Et in multitudine, ut unum significat pater, plures, patres: sic omnia debuerunt esse bina. Sed & singularia solum sunt multa, ut cicer, siser (nemo enim dicit cicera, sisera) & multitudinis, ut salinæ. non enim ab heis singulari specie dicitur salina, & balnea. Neque ab eo, quod dicunt balneum, habet multitudinem consuetudo. nam quod est, ut prædium, balneum: debuerunt esse plura, ut prædia, balnea: quod non est. non est ergo in heis quoque analogia. Alia casus habent, & rectos & obliquos: alia rectos solum: alia modo obliquos. Ha-

bent utrosque, ut Juno, Junonis: rectos modo, ut Juppiter, Marspiter: obliquos solum, ut Jovis, Jovem. non ergo in heis est analogia. Nunc videamus in illa quadripartita. Primum si esset analogia, ut in heis tribus articuleis, ut est quis, quem, cujus: sic diceretur, quæ, quam, cujus. Et ut est quis, cui, sic diceretur qua, quæ: nam est proportione simile. ut Deæ bonæ, quæ sit: Dea bona, quæ est. & ut est quem, quis: sic quos, ques. Quare quod nunc dicitur, qui homines, dici oportuit ques. Præterea, ut est ab is, ei, sic ab ea, eæ diceretur, quod nunc dicitur ei: & pronuntiaretur, ut in ieis vireis, sic eeis mulieribus. & ut est in recteis, is, ea: debuit esse ibus, eeis: sed id est in obliqueis ieis. nunc non modo in virili, sicut in muliebri, dicitur ejus: sed etiam in neutreis articuleis, ut, ejus viri, ejus mulieris, ejus pabuli: cum discriminentur in recteis casibus, is, ea, id. De hoc genere parcius tetigi, quod librarios hæc spinosiora indulgentius laturos putavi. De nominativeis, quæ accidunt proxime ad finitam naturam articulorum, atque appellantur vocabula, ut homo, & equus: eorum declinationum genera sunt quattuor. unum, nominandei, ut ab equo, equile: alterum, casuale, ut ab equo, equum: tertium, augendei, ut ab albo, albius: quartum, minuendei, ut a cista, cistula. Primum genus (ut dixi) id est, cum aliqua parte orationis declinata sunt recto casu vocabula: ut a balneeis, balneator. hoc fere triplices habet radices: quod & a vocabulo oritur, ut a venatore, venabulum: & a nomine, ut a Tibure, Ti-

burs: & a verbo, ut a currendo, curſor. In nullo horum analogiam ſervare videbis. Primum cum dicatur, ut ab ove & a ſue, Ovile & Suile, ſic a bove dicitur Bubile, non bovile. Et cum ſimile ſit avis, & ovis: neque dicitur, ut ab ave Aviarium, ab ove ovile, ab ave avile non eſt, neque ab ove oviarium. Et cum debuerit eſſe, ut a cubatione Cubiculum, ſic a ſeſſione ſediculum non eſt. Quoniam taberna, ubi venit vinum, a vino Vinaria, a creta Cretaria, ab unguento Unguentaria dicitur: ἀναλογικῶς ſi eſſent vocabula, ubi caro venit, carnaria: ubi pelles, pellaria: ubi calcei, calcearia dicerentur: non laniena, pelleſuina, ſutrina. Et ſicut eſt ab uno Uni, a tribus Trini, a quattuor Quatrini, ſic a duobus Duini, non Bini dicerentur. nec non ut quadrigæ, trigæ, ſic potius duigæ, quam Bigæ. Permulta ſunt hujuſce generis: quæ, quoniam admonitus perſpicere poteſt, omitto. Vocabula, quæ a nominibus oriuntur, ſi a ſimilibus nominibus ſimilia eſſe debent, dicemus, quoniam gemina ſunt, Parma, Alba, Roma; Parmenſes: aut quoniam ſimilis eſt Roma, Nola, Parma; dicemus, ut Romani, Nolani, ſic Parmani. & a Pergamo, ab Ilio ſimiliter, ut Pergamenus, ſic Ilienus: aut ut Ilius mas & Ilia femina, ſic Pergamus & Pergama. Et quoniam ſimilia nomina ſunt Aſia, Libya; dicemus ut Aſiaticos, ſic Libyaticos homines. Quæ vocabula ducuntur a verbeis, fiunt, ut a ſcribendo Scriptor, a legendo Lector. hæc quoque non ſervare ſimilitudinem, licet videre ex heis. cum ſimiliter dicatur, ut ab amando Amator, a

ſalutando Salutator, a cantando Cantator: & cum dicatur, Laſſus ſum metendo, ferendo: ex heis vocabula non reddunt proportionem: quod non ſit, ut Meſſor, Fertor. Multa ſunt item in hac ſpecie, in quibus potius conſuetudinem ſequimur, quam rationem verborum. Præterea, cum ſint ab eadem origine verborum vocabula diſſimilia ſuperiorum; quod ſimul habeant caſus & tempora, quæ vocantur participia; & multa ſint contraria, ut amor amo, ſeror ſero: ab amo & ejuſmodi omnibus verbeis oriuntur præſens & futurum, ut amans & amaturus: & ab eis verbeis tertium, quod debet fingi præteriti, in lingua Latina reperiri non poteſt. non ergo eſt analogia. Sic amabor, legor, & ejuſmodi verbi, eſt vocabulum ejus generis præteriti temporis, ſit, ut amatus eram, ſum, ero: neque præſentis & futuri ab heis ſit. non eſt ergo analogia: præſertim cum tantus numerus vocabulorum in eo genere interierit; quod dicimus in heis verbeis, & in ieis verbeis quæ contraria non habent, loquor, venor: tamen dicimus loquens, venans: locuturus, venaturus. quod ſecundum analogias non eſt: quoniam dicimus loquor, & venor. Unde illa, quæ erant ſuperiora, minus ſervantur. quod cum heis, quæ contraria verba habent, alia efficiunt terna, ut ea, quæ dixi: alia, bina, ut ea, quæ dicam, currens, ambulans: curſurus, ambulaturus. tertia enim præteriti non ſunt: ut curſus ſum, ambulatus ſum. Neque in heis quidem, quæ ſæpius quid fieri oſtendunt, ſervant analogiam: ut eſt a cantando cantitans, ab amando

amitans non eſt, & ſic multa. Ut in heis ſingularibus, ſic in multitudinis: ſicut enim cantitantes, ſeditantes non dicuntur. Quoniam eſt vocabulorum genus, quod appellant compoſitum, & negant conferri id oportere cum ſimplicibus, de quibus adhuc dixi: de compoſiteis ſeparatim dicam. Cum a tibiis & canendo tibicen dicitur: quærunt, ſi analogias ſequi oporteat, cur non a cithara & pſalterio, & pandura, dicamus citharicen, & ſic alia. Si ab æde & tuendo Æditus eſt; cur ab atrio & tuendo non atrituus ſit potius, quam Atrienſis? Si ab avibus capiendeis Auceps dicatur, debuiſſe ajunt ex piſcibus capiendeis piſciceps, ut aucupem, ſic piſcicupem dici, & ubi lavetur æs, ærarias, non Ærelavinas nominari. & ubi fodiatur argentum, Argentifodinas dici: neque ubi fodiatur ferrum, Ferrifodinas. Qui lapides cædunt, lapicidas: qui ligna, lignicidas non dici. neque ut aurificem, ſic argentificem. non doctum dici indoctum, non ſalſum inſulſum. Sic & ab hoc quoque fonte quæ profluant, animadvertere eſt facile. Relinquitur de caſibus, in quo Ariſtarchei ſuos intendunt nervos. Primum ſi in heis eſſet analogia, dicunt debuiſſe omneis nominativos & articulos habere totidem caſus: nunc alios habere unum ſolum, ut literas ſingulas omnes: alios, treis, ut prædium, prædii, prædio: alios, quattuor, ut mel, mellis, melli, melle; alios, quinque, ut quintus, quinti, quinto, quintum, quinte: alios, ſex, ut unus, unius, uni, unum, une, uno. Non eſſe ergo in caſibus analogias. Secundo, quod Crates dicebat,

cur quæ ſingulos habent caſus, ut literæ Græcæ, non dicantur alpha, alphatos? Si idem mihi reſpondebitur, quod Crateti, non eſſe vocabula noſtra, ſed penitus barbara: quæram, cur iidem noſtra nomina, & Perſarum, & ceterorum, quos vocant barbaros, cum caſibus dicant. quare, ſi eſſet analogia, aut, ut Pœnicorum & Ægyptiorum vocabula, ſinguleis caſibus dicerentur: aut pluribus, ut Gallorum & ceterorum. Nam dicunt ab alaco alacus, & ſic alias. In quod ſcribent, dicent, quod Pœnicum ſit, ſinguleis caſibus: ideo eas literas Græcas nominari: ſic Græci noſtra ſeneis caſibus non quineis dicere debebant. quod cum non faciunt, non eſt analogia. Quæ ſi eſſet, negant ullum caſum duobus modeis debuiſſe dici: quod ſit contra. Nam ſine reprehenſione vulgo alii dicunt in ſingulari, hac ovi & avi: alii, hac ove & ave. In multitudinis, hæ puppeis, reſteis, & hæ puppes, reſtes. Item, quod in patrico caſu hoc genus diſpariliter dicatur civitatum, parentum: civitatium, parentium: in accuſandei hos monteis, fonteis, hos montes, fontes. Item cum ſi ſit analogia, debent a ſimilibus verbeis ſimiliter declinateis ſimilia fieri, & id non fieri oſtendi poſſit: deſpiciendam eſſe eam rationem. Atqui oſtenditur. nam quid poteſt ſimilius eſſe, quam mens, dens, gens? cum horum caſus patricus, & accuſandei, in multitudine ſint diſpariles. nam a primo fit gentium, & genteis, utrobique ut ſit I: a ſecundo mentium, & mentes, ut in priore ſolo ſit I: a tertio dentum, & dentes, ut in neutro ſit I. Sic item, quoniam ſimi-

le eſt recto caſu ſurus, lupus, lepus; rogant, cur non dicant proportione item ſuro, lupo, lepò. Si reſpondent, ſimilia non eſſe, quod ea vocemus diſſimiliter, ſure, lupe, lepus: ſic enim reſpondere voluit Ariſtarchus Crateti. nam cum ſcripſiſſet ſimilia eſſe, Philomedes, Heraclides, Melicertes; dixit, non eſſe ſimilia. in vocando enim cum E brevi dici Philomede, cum E longo Heraclide, & cum E brevi Melicerte. In hoc dicunt Ariſtarchum non intellexiſſe, quod quæreretur, cum ſic ſolverit. Sic enim, ut quidquid in obliqueis caſibus diſcrepavit, dicere potuit, propterea rectos caſus non eſſe ſimileis: cum quæratur, duo inter ſe ſimilia ſint necne, non debere extrinſecus adſumi, cur ſimilia ſunt. Item, ſi eſſet analogia, ſimiliter aves, oves, ſues dicerent: item ut ovium, avium, ſic ſuium. Si analogia eſt, inquit, cur populus dicit Dii Penates, Dii Conſentes? cum ſit, ut hic reus, ferus, Deus; ſic hi rei, feri, Dei? Item quærunt, ſi ſit analogia, cur appellant omnes ædem Deum Conſentum, & non Deorum Conſentium? Item cur dicatur mille denarium, non mille denariorum? eſt enim hoc vocabulum ea figura, ut Vatinius, Manlius, denarius. debet igitur dici, ut Vatiniorum, Manliorum, ſic denariorum. & non equum publicum mille aſſarium eſſe, ſed mille aſſariorum. ab uno enim aſſario multi aſſarii, ab eo aſſariorum. Item ſecundum illorum rationem debemus ſecundeis ſyllabeis longeis dicere Hectorem, Neſtorem. eſt enim ut quæſtor, prætor, Neſtor, Hector. Et non debuit dici, quibus

das, ſed queis das. eſt enim ut eeis, heis, queis. At ſi eſt quibuſcum, non ibus & hibuſcum dicatur? Da patri familias, dicere non debuerunt, ſi analogias ſequi vellent: quod eſt ut Atiniæ, Scatiniæ, familiæ; ſic una Atinia, Scatinia, familia. Item plures patres familias dicere non debuerunt, ſed, ut Siſenna ſcribit, patresfamiliarum. Neque oportebat conſuetudinem notare: alios dicere boum greges, alios boverum: ut ſtruum, ſic Jovum, & Joverum: cum eſſet ut Jovis, bovis, ſtruis, Jovem, bovem, ſtruem, Jovi, bovi, ſtrui. Nec cum hæc convenirent in obliqueis caſibus, dubitare debuerunt in recteis propinquioribus: nunc in conſuetudine aliter dicere pro Jovis, Juppiter: pro bovis & bus, bos: pro ſtruis, ſtrues.

Deinceps dicam de altero genere vocabulorum, in quo contentiones ſunt: ut album, albius, albiſſimum. in quo eam analogiam non ſervari apparet. nam cum ſit ſimile, ſalſum, caldum: & dicatur ab heis, ſalſius, ſalſiſſimum, caldius, caldiſſimum debuit dici. quoniam ſimile eſt bonum, malum: ab heis bonius & malius, boniſſimum & maliſſimum: nonne dicimus, bonum, melius, optimum? malum, pejus, peſſimum? In aliis verbeis nihil deeſt: ut dulcis, dulcior, dulciſſimus. in aliis primum, ut pejus, peſſimum: in aliis medium, ut cæſius, cæſiſſimus: in aliis bina ſunt, quæ ſint ab eadem voce declinata: & ea ita, ut alias deſint ſecundum & tertium, ut in hoc, mane, manius, maniſſime: alias, ut duo prima abſint, ut optimum: alias, ut primum & tertium deſit, ut melius. Præ-

terea si dicerent similiter declinari, cum similia essent macer, sacer, tener: & macerrimus, sacerrimus, tenerrimus: non discreparent in heis, macrior, & magis sacer, & tenerior: neque alia trisyllaba fierent, &, si in heis dominaretur similitudo, diceremus, ut candidissimus, candidissima, pauperrimus, pauperrima: ut candidus, candida, pauper, paupera. & ut dicimus doctus, docta, doctissimus, doctissima: sic diceremus, frugalissimus, frugalissima, frugus & fruga. Ea si proportione essent verba, ut uno vocabulo dicimus virum & mulierem sapientem, & diligentem, & sapientiorem, & diligentiorem: sic diceremus item, cum perveniremus ad summum. quod facimus aliter: nam virum dicimus sapientissimum & diligentissimum: feminam, sapientissimam & diligentissimam. Quod ad vocabulorum hujus generis exempla pertinet, multa sunt reliqua. sed eadem, quæ dicta, ad judicandum satis sunt, quod analogias in collatione verborum sequi non debemus. Magnitudinis vocabula cum possint esse terna, ut cista, cistula, cistella: in mediis non sunt: ut in heis, macer, macricolus, macellus: niger, nigricolus, nigellus. Item minima in quibusdam non sunt, ut avis, avicula, avicella: caput, capitulum, capitellum. In hoc genere vocabulorum quod multa desunt, dicendum est non esse in eo, sed potius sequendam consuetudinem, quam rationem. Quod ad vocabulorum genera quattuor pertinet, ut in

hoc potius consuetudinem, quam analogiam dominari facile animadverti possit, dictum est.

Sequitur de nominibus, quæ differunt a vocabuleis, ideo quod sunt infinita, ac res communeis designent: ut vir, mulier: cum nomina sint finita, ac significent res proprias, ut Paris, Helena. e quibus sunt alia nomina a nominibus, ut Ilium, ab Ilo, & Ilia, ab Ilio: alia a vocabulo, ut ab albo, albius, & ab atro, atrius: in neutreis servata est analogia. Nam & cum sit a Romulo Roma, proportione non est, quod debuit esse Perperni filia, non Perpernæ. Perperna mulieris nomen esse debuit, & nata a Perperno: quod est, ut Arbernus, Perpernus: Arberna, Perperna. Quod si Marcus Perperna virile est nomen, & analogia sequenda: Lucius Ælia, & Quinctus Mucia, virilia nomina esse debebunt. Item quæ habent ab Rhodo, Andro, Cyzico, Rhodius, Andrius, Cyzicenus: similiter Cyzicius civis diceretur unusquisque. Nam ut ab Atheneis Athenæus dicitur rhetor nomine, etsi non sit Atheniensis, in hoc ipso analogia non est: quod alii nomina habent ab oppideis; alii aut non habent, aut non, ut debent, habent. habent plerique libertini a municipio manumissi. in quo, ut societatum & fanorum servi, non servarunt proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici. ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus: sic a Roma Romanus. ut nominantur a libertineis orti publici servi,

Romani, qui manumiſſi ante, quam ſub magiſtratus nomina, qui eos liberarunt, ſuccedere cœperunt. hinc quoque illa nomina Leſas, Uſenas, Carinas, Mæcenas: quæ cum eſſent a loco, ut Urbinas, & tamen Urbinus, ab heis debuerunt dici ad noſtrorum nominum ſimilitudinem.

Deeſt pagina.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIBER OCTAVUS.

Desunt quædam.

tam nesciunt docere, quam discere, quæ ignorant. in quo fuit Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo, qui reliquit sex libros περὶ τῆς ἀνομαλίας, heis libreis contra analogiam atque Aristarchum est nixus: sed ita, ut scripta indicant ejus, ut neutrius videatur pervidisse voluntatem. quod & Chrysippus, de inæqualitate cum scribit sermones, propositum habet ostendere similes res dissimilibus verbeis, & similibus dissimiles, esse vocabuleis notatas. id quidem est verum: & cum Aristarchus de æqualitate conscribit, & de verborum similitudine; quorundam inclinationes sequi jubet, quoad patiatur consuetudo. Sed hi, qui in loquendo partim sequi jubent nos consuetudinem, partim rationem, non tam discrepant: quod consuetudo & analogia conjunctiores sunt inter se, quam hi credunt. quod est nata ex quadam consuetudine analogia: & ex hac consuetudo ex dissimi-

libus & ſimilibus verbeis eorum, quod declinationibus conſtat. neque anomalia, neque analogia eſt repudianda. niſi ſi non eſt homo ex anima, quod eſt homo ex corpore & anima. Sed ea, quæ dicam, quo facilius pervideri poſſint, prius de trineis copuleis differendum: nam confuſim ex utraque parte pleraque dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent ſummam. Primum de copuleis naturæ & ſueis. hæc enim duo ſunt, quæ exigunt diverſa: quod aliud eſt, dicere verborum analogias, aliud, dicere uti oportere analogiis. Secundum de copuleis multitudinis, ac finis: utrumque omnium verborum dicatur eſſe analogia, an uſus, an majoris partis. Tertium, de copuleis perſonarum, qui eis debent uti, quæ ſunt plures. Alia enim populi univerſi, alia ſingulorum: & de lieis non eadem oratores & poetæ: quod eorum non idem jus. Itaque populus univerſus debet in omnibus verbeis uti analogia: &, ſi perperam eſt conſuetus, corrigere ſe ipſe; cum orator non debeat in omnibus uti: quod ſine offenſione non poteſt facere, cum poetæ tranſilire lineas impune poſſint. Populus enim in ſua poteſtate, ſinguli in illius. Itaque ut ſuam quiſque conſuetudinem, ſi mala eſt, corrigere debeat; ſic populus ſuam. Ego populi conſuetudinis non ſum, ut dominus: at ille meæ eſt. Ut rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſque in navi; ſic populus rationi, nos ſinguli populo. Quare ad quamcunque ſummam in dicendo referam, ſi animadvertes, intelliges, utrum dicatur analogia eſſe, an, uti oporteret, redigere; dici id in popu-

lum aliter; ac inde omnibus dici in eum, qui ſit in populo.

Nunc jam primum dicam pro univerſa analogia, cur non modo videatur eſſe reprehendenda, ſed etiam cur in uſu quodammodo ſequenda. Secundo, de ſinguleis criminibus, quibus rebus poſſint, quæ dicta ſunt contra, ſolvi. dicam ita, ut generatim comprehendam & ea, quæ in priori libro ſunt dicta, & ea, quæ poſſunt dici, atque illic præterii. Primum, quod ajunt, qui bene loqui velit, conſuetudinem, non rationem ſimilitudinum, ſequi oportere: quod alterum ſi neglegat, ſine offenſione facere non poſſit; alterum ſi ſequatur, quod ſine reprehenſione non ſit futurum; errant: quod qui in loquendo conſuetudinem, qua oportet uti, ſequitur, non ſine ea ratione. Nam vocabula ac verba, quæ declinamus, ſimiliter ea in conſuetudine eſſe videmus, & ad eam referimus: & ſi quid eſt erratum, non ſine ea corrigimus. Nam ut qui triclinium conſtrarunt, ſi quem lectum de tribus unum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium, aut parum produxerunt; una corrigimus, & ad conſuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias. Sic ſi quis in oratione in pronuntiando ita declinat verba, ut dicat diſparia; quod peccat, redigere debemus ad ceterorum ſimilium verborum rationem. Cum duo peccati genera ſint declinationum: unum, quod in conſuetudinem perperam receptum eſt; alterum, quod nondum eſt, & perperam dicatur: unum dant, non oportere dici, quod ſit in conſuetudine; alterum non con-

ceditur, quin ita dicatur, ut ſit ſimile. cum id faciat, ac ſi quis puerorum per delicias pedes male ponere, atque imitari vacias cœperit, hos corrigi oportere, ſi concedant: contra ſi quis in conſuetudine ambulandei jam factus ſit vacia, aut compernis, ſi eum corrigi non concedant. non ſequitur, ut ſtulte faciant, qui puereis in geniculeis alligent ſerperaſtra, ut eorum depravata corrigant crura. cum culpandus non ſit medicus, qui e longinqua mala conſuetudine ægrum in meliorem traducit: quare reprehendendus ſit, qui orationem minus valentem propter malam conſuetudinem traducit in meliorem? Pictores, Apelles, Protogenes, ſic alii artifices egregii non reprehendendi, quod conſuetudinem Myconis, Dioris, Arimnæ & aliorum ſuperiorum non ſunt ſecuti: Ariſtophanes improbandus, qui potius in quibuſdam veritatem, quam conſuetudinem ſecutus? Quid ſi viri ſapientiſſimi, & in re militari & in aliis rebus multeis contra veterem conſuetudinem cum eſſent uſi, laudati; deſpiciendi ſunt, qui potiorem dicunt oportere eſſe conſuetudinem ratione? An cum quis perperam conſueverit quid facere in civitate, non modo non patiemur, ſed etiam pœna adficiemus? item ſi quis perperam conſueverit dicere verbum, non corrigemus, cum id fiat ſine pœna? & hi, qui pueros in ludum mittunt, ut diſcant, quæ neſciunt, verba, quemadmodum ſcribant: itidem barbaros, qui ignorabunt verba, quemadmodum oportuit dici, non docebimus, ut ſciant, qua ratione conveniat dici? ſed ut nutrix pueros a lacte non ſubito

evellit a consuetudine, cum a cibo pristino in meliorem traducit: sic in majoribus loquendo, a minus commodeis verbeis ad ea, quæ sunt cum ratione, modice traducere oportet. cum sint in consuetudine contra rationem alia verba, ita ut ea facile tolli possint: alia, ut videantur esse fixa, quæ leviter hærent, ac sine offensione commutari possint. Si enim ad rationem corrigi oportet, quæ non ad rationem sunt, ita ut in præsentia corrigere nequeas: quin ita dicas, heis oportet, si possis, non uti. sic enim obsolescent, ac postea jam obliterata facilius corrigi poterunt. Quas novas verbi declinationes ratione introductas respuet forum, iis boni poetæ, maxime scænici, consuetudine subigere aureis populi debent. quod poetæ multum possint in hoc, propter eos quædam verba in declinatione melius, quædam deterius dicuntur. Consuetudo loquendi est in motu. itaque solet fieri ex meliore deterior. meliora verba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas non modo nunc dicuntur recte, sed etiam quæ ratione dicta sunt tum, nunc perperam dicuntur. Quare, qui ad consuetudinem nos vocant, si ad rectam, sequamur. in eo enim quoque est analogia. si ad eam invitent, quæ est depravata, nihilo magis sequemur. nisi cum erit necesse, sequar in cetereis rebus mala exempla. nam ea quoque, cum aliqua vis urget, inviti sequimur. Neque enim Lysippus artificum priorum potius est vitiosa secutus, quam artem: sic populus facere debet, etiam singuli, sine offensione quod fiat populi, qui amissa modo quærant, sed etiam quod

indicium dent: iidem, ex ſermone ſi quid deperiit, non modo nihil impendunt, ut requirant, ſed etiam contra indices repugnant, ne reſtituatur verbum novum & ratione introductum, quo minus ut recipiamus, vitare non debemus. Nam ad uſum in veſtimenteis, ædificiis, ſupellectili, novitati non impedit vetus conſuetudo. Quem enim amor adſuetudinis potius in panneis poſſeſſorem retinet, quam ad nova veſtimenta traducit? An non ſæpe veteres leges abrogatæ noveis cedunt? nonne inuſitateis formeis vaſorum recentibus a Græcia adlatis obliteratæ antiquæ conſuetudinis ſinorum & capidarum ſpecies? Heis formeis vocabulorum contaminati uti nollent, quæ docuerit ratio propter conſuetudinem veterem? Et tantum inter duos ſenſus intereſſe volunt, ut oculeis ſemper aliquas figuras ſupellectilis novas conquirant, contra aureis expertes velint eſſe? Quotus quiſque jam ſervos habet priſceis nominibus? quæ mulier ſuum inſtrumentum atque vaſa auri, veteribus vocabuleis appellat? Inducteis non tam iraſcendum, quam hujuſce pravitatis patroneis. Si enim uſquequaque non eſſet analogia, tum ſequebatur, ut in verbeis quoque non eſſet; non cum eſſet uſquequaque (ut eſt) non eſſe in verbeis. Quæ enim eſt pars mundi, quæ non innumerabiles habeat analogias? Cælum, an mare, an terra, an aer, & cetera, quæ ſunt in heis? nonne in cælo, ut ab æquinoctiali circulo ad ſolſtitialem, & hinc ad ſeptemtrionalem diviſum? ſic contra paribus partibus item a bruma verſum contraria parte? non, quantum polo ſupe-

rior, abeſt inferior ab eo, quem ἀνταρκτικὸν vocant aſtrologi, & is ad brumalem? non, quemadmodum quodque ſignum exortum hoc anno, quotquotanneis eodem modo exoritur? Num aliter ſola bruma venit ad æquinoctium? an contra cum ad ſolſtitium, venit ad æquinoctialem circulum, & inde ad brumam? Nonne luna, ut a ſole diſcedit ad aquilonem, & inde redit in eandem viam; ſic inde fertur ad auſtrum & regreditur inde? Sed quid plura de aſtreis, ubi difficilius reperitur quid ſit, aut fiat in motibus diſſimiliter? At in mari, credo, motus non habent diſſimilitudines geminas, qui in viginti quattuor horeis lunaribus cottidie quater ſe mutant? At cum ſex horeis æſtus creverunt, totidem decreverunt rurſum iidem. Item ab heis, an hanc analogiam ad diem ſervant, ad menſem non item alios motus? Sic item cum habeant alios inter ſe convenientes, de quibus in libro, quem de æſtuariis feci, ſcripſi.

Non in terra in ſationibus ſervata analogia? nec cujuſmodi in præterito tempore fructuum genera reddidit, ſimilia in præſenti reddat: & cujuſmodi a tritico jacto reddit ſegetes, ſic ordeo ſato proportione reddit parileis? Nonne ut Europa habet flumina, lacus, monteis, campos; ſic habet Aſia? Non in volucribus generatim ſervatur analogia? non ex aquileis aquilæ, atque ex turdeis qui procreantur, turdi: ſic ex reliqueis ſui cujuſque generis? An aliter hoc fit, quam in aere, in aqua? non hic conchæ inter ſe generatim innumerabili numero ſimiles? non piſces? ſane murena fit lu-

pus, aut merula? Non bos ad bovem conlatus, similis? &, qui ex heis progenerantur, inter se vituli? etiam ubi dissimilis fetus, ut ex equa & asino mulus: tamen ibi analogia: quod ex quocunque asino & equa nascitur item mulus, aut mula, ut ex equo & asina hinnuli. Non sic ex viro & muliere omnis similis partus? quid pueri & puellæ? non horum ita inter se non omnia similia membra, ut separatim in suo utroque genere similitudines sint pariles? Non homines omneis cum sint ex anima & corpore, partes quoque horum proportione similes? Quid ergo, cum omnes animæ hominum sint divisæ in octonas parteis, inter se non proportione similes? quinque, quibus sentimus: sexta, qua cogitamus: septima, qua progeneramus: octava, qua voces mittimus? Igitur, quoniam qua loquimur voce orationem, hanc quoque necesse est natura habere analogias. itaque habet, an non? Vides, ut Græci habeant eam quadripartitam? unam, in qua sit casus; alteram, in qua tempora; tertiam, in qua neutrum; quartam, in qua utrumque: sic nos habere? Et quid, verba nescis, ut apud illos sint alia finita, alia non: sic utraque esse apud nos equidem non dubito. Qui animadverterunt item in eam innumerabilem similitudinem numerum: ut trium temporum verba, ut trium personarum. quis enim potest non animadvertisse, in omni oratione esse, ut legebam, lego, legam: sic lego, legis, legit: cum hæc eadem dicantur alias ut singula, alias ut plura significent? Quis est enim tam tardus, qui illas quoque non anim-

advertit ſimilitudines, quibus utimur imperando, quibus in optando, quibus in interrogando, quibus in infecteis rebus, quibus in perfecteis, ſic in aliis diſcriminibus? Quare qui negat eſſe rationem analogiæ, non videt naturam non ſolum orationis, ſed etiam mundi: qui autem vident, & ſequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam: & pugnant volſelleis, non gladio: cum pauca excepta verba ex pelago ſermonis puri, minus trita efferant; cum dicant propterea analogias non eſſe. ſimiliter ut ſi quis viderit mutilum bovem, aut luſcum hominem, claudicantem equum, neget in cornibus boum, hominum & equorum, naturam ſimilitudinis proportione conſtare. Qui autem, cum duo genera eſſe dicunt analogiæ: unum naturale, quod, ut ex lentibus nateis naſcuntur lentes, ſic ex lupineis lupinum: alterum voluntarium, ut in fabrica, cum vident ſcænam, ut dexteriore parte ſint oſtia, ſic eſſe in ſiniſteriore ſimili ratione facta: de heis duobus generibus naturalem eſſe analogiam: ut ſit in motibus cæli: voluntariam vero eſſe, quod ut cuique fabro libitum ſit, poſſit facere partem ſcænæ; ſic in hominum partibus eſſe analogias; quod eas natura fecit: in verbeis non eſſe, quod & homines ad ſuam quiſque voluntatem fingunt. itaque de iiſdem rebus alia verba habere Græcos, alia Syros, alia Latinos. Ego declinatus verborum & voluntarios & naturales eſſe puto. voluntarios, quibus homines vocabula impoſuerint rebus quædam, ut a Romulo Roma, a Tibure Tiburtes: naturales, ut ab impoſiteis vo-

cabuleis, quæ inclinantur in tempora aut in casus: ut ab Romulus, Romuli, Romulo, Romulum, & a Dico, dicebam, dixeram. Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est; in naturalibus constantia: quas utrasque, quoniam id non debeant negare esse in oratione, quod in mundi partibus omnibus sit, & declinationes verborum innumerabiles, dicendum est, esse in iis analogiam. Neque ideo statim ea in omnibus verbeis est sequenda. nam si qua perperam declinavit verba consuetudo, ut ea aliter efferri non possint sine offensione multorum; hinc orationem verborum non prætermittendam ostendit loquendi ratio. Quod ad universalem pertinet causam, cur similitudo & sit in oratione & debeat observari, & quam ad finem quoque, satis dictum. Quare, quod sequitur, de partibus singuleis deinceps expediemus: ac singula crimina, quæ dicunt in analogias, solvemus. In quo animadverto, natura quadruplicem esse formam, ad quam in declinando accommodari debeant verba: quod debeat subesse res, quæ designetur; & ut sit ea res in usu: & ut vocis natura ea sit, quæ significavit, ut declinari possit, & similitudo. Figura verbi, ut sit ea, quæ ex se declinata genus prodere certum possunt. quo neque a terra terrus ut diceretur, postulandum est, quod natura non subest. ut in hoc alterum maris, alterum feminæ debeat esse. Sic neque propter usum, ut Terentius significat unum, plures, Terentii, postulandum est, ut sic dicamus faba & fabæ. non enim in similibus utrumque. neque ut dicimus Terentius Terentium, sic postulan-

dum ut inclinemus A & B: quod non omnis vox natura habet declinatus. neque enim forma conlata quærendum ſolum, quid habeat in figura ſimile, ſed etiam nonnunquam in eo, quem habeat effectum. Sic enim lana Gallicana & Appula videtur imperito ſimilis propter ſpeciem; cum peritus Appulam emat pluris, quod in uſu firmior ſit. Hæc nunc ſtrictim dicta, apertiora fient infra. incipiam hinc. Quod rogant, ex qua parte oporteat ſimile eſſe verbum, ab voce an a ſignificatione: reſpondeamus, a voce. ſed tamen nonnunquam quærimus, genere ſimiliane ſint, quæ ſignificantur; ac nomen virile cum virili conferimus, feminæ cum muliebri. non quod id, quod ſignificant voces, commoveat; ſed quod nonnunquam in re diſſimilis figuræ, formas vocum indiſſimiles ponunt diſpariles. ut calcei, muliebres ſint an viriles, dicimus ad ſimilitudinem figuræ; cum tamen ſciamus, nonnunquam & mulierem habere calceos viriles, & virum muliebreis. Sic dici virum Perpernam, & M. Læcam muliebri forma. & contra, parietem, ut abietem, eſſe forma ſimilem; cum alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre; & utrumque natura neutrum. Sic itaque ea virilia dicimus, non quæ virum ſignificant, ſed quibus proponimus hic & hi. & ſic muliebria, in quibus dicere poſſumus hæc, & hæ. Quare nihil eſt, quod dicunt Theona & Diona non eſſe ſimileis; ſi alter eſt Æthiops, alter Gallus: ſi analogia rerum diſſimilitudines adſumat & ad diſcernendum vocis verbeis figuras. Quod dicunt, ſimile ſit necne, nomen nomini, impruden-

ter Aristarchum præcipere, oportere spectare non solum ex recto, sed etiam ex eorum vocandei casu: esset enim ridiculum, si similes inter se parentes sint, de filiis judicare. Qui errant, quod non ab obliqueis casibus fit, ut recti simili facie ostendantur: sed propter eos facilius prospici similitudo potest eorum, quam vim habeat. ut lucerna in tenebreis adlata non facit, quæ ibi sunt posita, similia sint; sed ut videantur, quæ sint, quæve desint. Quid similius videtur, quam in heis est extrema litera, crux, frux? quas qui audit voces, auribus discernere potest nemo: cum easdem non esse similes ex aliis verbeis intelligamus. quod cum sint cruces, & fruges, & de heis extremeis syllabeis exemtum sit C ex altero, sicut ex C & S crux, ex G & S frux. quod item apparet, cum est demtum S. nam fit unum, cruci, alterum, frugi. Quod ajunt, cum in majore parte orationis non sit similitudo, non esse analogiam: dupliciter stulte dicunt, quod & in majore parte est, & in minore parte est: &, si in minore non sit, tamen sit in majore. Nisi etiam nos calceos negabunt habere, quod in majore parte corporis calceos non habeamus. Quod dicunt, nos sequi dissimilitudinem: itaque in vestitu, in supellectile delectari varietate: non paribus subuculeis uxoris: respondeo, si varietas est jucunda; magis varium esse, in quo alia sunt similia, alia non sunt. Itaque sic, ut abacum argento ornari videmus, ut alia paria sint, alia disparia: sic in oratione. Rogant, si similitudo sit sequenda, cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex te-

ſtudine, ſic item genere aliquo alio. ad quæ dico non diſſimilitudines quoque ſequi. ſæpe itaque ex eadem ſupellectili licet videre. nam nemo facit triclinii lectos, niſi pareis & materia, & altitudine, & figura. Quis facit mappas triclinarias non ſimileis inter ſe? quis pulvinos? quis denique cetera, quæ unius generis ſint plura? Cum (inquit) utilitatis cauſa introducta ſit oratio, ſequendum, non quæ habebit ſimilitudinem, ſed quæ utilitatem. Ego quidem utilitatis cauſa orationem factam eſſe concedo, ſed ut veſtimenta. quare ut hic ſimilitudines ſequemur: ut virilis tunica ſit virili ſimilis, item toga togæ: ſic mulierum ſtola ſtolæ, proportione, & pallium pallio ſimile: ſi cum ſint nomina utilitatis cauſa, tamen virilia inter ſe ſimilia: item muliebria inter ſe ſequi debemus. Quod ajunt, ut perſedit, & perſtitit, ſic percubuit, & percubivit: quoniam non ſit; non eſſe analogiam. & in hoc errant: quod duo poſteriora ex prioribus declinata non ſunt: cum analogia polliceatur ex duobus ſimilibus ſimiliter declinateis ſimilia fore. Qui dicunt, quod ſit a Romulo Roma, & non Romula; neque ut ab ove Ovilia, ſic a bove Bovilia, eſſe analogias: errant, quod nemo pollicetur e vocabulo vocabulum declinari recto caſu ſingulari in rectum ſingularem; ſed ex duobus vocabuleis ſimilibus caſus ſimiliter declinatos ſimiles fieri. Quod dicunt, quod vocabula literarum Latinarum non declinentur in caſus, non eſſe analogias; hi ea, quæ natura declinari non poſſunt, eorum declinatus requirunt. proinde ut non ea dicatur eſſe analogia, quæ a ſimilibus

verbeis ſimiliter declinateis ſimilia declinat. Quare non ſolum in vocabuleis literarum non hæc requirenda analogia, ſed ne in ſyllaba quidem ulla. quod dicimus hoc ab, hujus ab: ſic alia. Quod ſi quis in hoc quoque velit dicere eſſe analogias rerum; tenere poteſt: ut enim dicunt ipſi alia nomina, quod quinque habent figuras, habere quinque caſus, alia quattuor, ſic minus alia; dicere poterunt eſſe literas ac ſyllabas in voce, quæ ſingulos habent caſus. In rebus plurimeis, quemadmodum inter ſe conferrent ea, quæ quaternos habebunt vocabuleis caſus; item ea inter ſe quaternos; ſic, quæ ſingulos habebunt, ut conferant inter ſe: dicentes, ut ſit hoc A, hujus A, eſſe hoc E, hujus E, huic E. Quod dicunt, eſſe quædam verba, quæ habeant declinatus, ut caput; quorum pars reperiri quod non poſſit, non eſſe analogias: reſpondendum ſine dubio, ſi, quod eſt ſingulare verbum, id non habere analogias: minimum duo eſſe verba debent, in quibus ſit ſimilitudo. quare in hoc tollunt eſſe analogias? ſed initio vocabulum recto caſu apparet in hoc, Quod dedit ira caput, nec diſpendi facit hilum. Quod valet, neque diſpendii facit quidquam. Idem hoc obliquo apud Plautum, Video enim te nihili pendere præ Philolache omnes homines. Quod ex ne & hili: quare dictus eſt Nihili, qui non hili. habet caſus tum, cum commutatur, de quo dicitur. De homine. dicimus enim, hic homo nihili eſt, & hujus hominis nihili, & hunc hominem nihili. Si in illo commutaremus; diceremus, ut hoc linum, & limum, ſic nihilum, non hic nihili, & huic lino

& limo: ſic nihilo, non huic nihili. Poteſt dici patricus caſus, ut ei præponuntur pronomina plura: ut hic caſus Terentii, hunc caſum Terentii; hic miles legionis, hujus militis legionis, hunc militem legionis. Negant, cum omnis natura ſit aut mas, aut femina, aut neutrum, debuiſſe ex ſinguleis vocibus ternas figuras vocabulorum fieri, ut albus, alba, album: nunc fieri in multeis rebus binas, ut Metellus, Metella: nonnulla ſingula, ut tragœdia, comœdia. ſic eſſe Marcum, Numerium: at Marcam, & Numeriam non: dici corvum, turdum, non dici corvam, turdam. contra dici pantheram, merulam, non dici pantherum, merulum. Nullius noſtrum filium, & filiam, non apte diſcerni marem ac feminam; ut Terentium & Terentiam. contra Deorum liberos, & ſervorum non itidem: ut Jovis filium & filiam, non Jovem & Jovam. item magnum numerum vocabulorum in hoc genere non ſervare analogias. Ad hæc dicimus, omnis orationis, quamvis res natura ſubſit, tamen ſi ea in uſum non pervenerit, eo non pervenire verba: ideo equus dicitur & equa. in uſu enim horum diſcrimina: corvus & corva non. quod ſine uſu id, quod diſſimilis natura. Itaque quædam aliter olim, & nunc: tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ, quod non erant in eo uſu domeſtico, quo nunc. contra propter domeſticos uſus quod internovimus, appellatur mas, columbus: femina, columba. Nam cum in tria genera tranſit, & idem eſt in uſu diſcriminare, totumque denique apparet, ut eſt in doctus, docta, doctum. doctrina enim per hæc

tria tranſire poteſt, & uſus docuit diſcriminare doctas res ab hominibus, & in heis marem ac feminam in mare, & femina, & neutro. Neque natura mas tranſit, neque femina, neque neutra: & ideo non dicitur feminus, femina, feminum: ſic reliqua. Itaque ſingularibus & ſecreteis vocabuleis appellati ſunt: quare in quibus rebus non ſubeſt ſimilis natura, aut uſus, in heis vocabuleis hujuſcemodi ratio quæri non debet. Ergo dicitur, ut ſurdus vir, ſurda mulier, ſic ſurdum theatrum; quod omnes tres ad auditum ſunt comparatæ. Contra nemo dicit cubiculum ſurdum, ad ſilentium, non ad auditum. at ſi feneſtram non habet, dicitur cæcum, ut cæcus & cæca. quod omnia habent lumen, habere debent mas ac femina. Habent inter ſe natura quandam ſocietatem neutra cum heis, quod ſunt diverſa non inter ſe; quodque de heis perpauca ſunt, quæ habeant quandam communitatem. Dei & ſervi nomina, quod non item ut libera noſtra tranſeunt, eadem ex cauſa, quod ad uſum attinet, inſtitui opus fuit de libereis, de reliqueis nihil attinuit: quod in ſerveis gentilitia natura non ſubeſt in uſu: in noſtreis nominibus, qui ſumus in Latio, & liberi, neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia: ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus: in prænominibus ideo non fit item, quod hæc inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilitia: ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta. In vireis, ut Quinctus, Sextus, Decimus. ſic ab aliis rebus, cum eſſent duo Terentii, aut plures, diſ-

cernendei cauſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant. forſitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet; qui luci, Lucius; qui poſt patris mortem, Poſtumus. E quibus, quæ, cum item accidiſſet femineis, proportione appellata. declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Poſtuma. Videmus enim Maniam, matrem larum, & Luciam Volumniam, Saliorum carminibus appellari. Poſtumam a multeis poſt patris mortem etiam nunc appellari. Quare quocunque progreſſa eſt natura, cum uſu vocabuli ſimilis, proportione propagata eſt analogia. Cum in quibus declinationibus voluntariis maris, & feminæ, & neutri, quæ voluntaria ſunt, non debent ſimiliter declinari: ſed in quibus naturales ſint declinatus, hi qui eſſe reperiuntur. Quocirca in tribus generibus nominum inique tollunt analogias. Qui autem eas reprehendunt, quod alia vocabula ſingularia ſunt ſolum, ut cicer: alia multitudinis ſolum, ut ſcalæ; cum debuerint eſſe omnia duplicia, ut equus equei: analogiæ fundamentum eſſe obliviſcuntur naturam. nam & uſu ſingulare eſt, quod natura unum ſignificat, ut equus: aut quod conjuncta quodammodo ad unum uſum, ut bigæ. itaque dicimus una Muſa, ſic dicimus unæ bigæ. Multitudinis vocabula ſunt, unum, infinitum, ut Muſæ: alterum, finitum, ut duo, tres, quattuor. dicimus enim, ut hæ Muſæ, ſic unæ bigæ, & binæ, & trinæ bigæ: ſic deinceps. Quare tam unei & unæ & una quodammodo ſingularia ſunt, quam unus, & una, & unum. hoc modo mutat, quod

altera in ſingularibus, altera in conjunčteis rebus, & ut duo, tria, ſunt multitudinis, ſic bina, trina. Eſt tertium quoque genus ſingulare, ut in multitudine, uter: in quo multitudinis, ut uter, utrei: uter poeta ſingularis, utrei poetæ multitudinis eſt. Qua explicata natura, apparet, non debere omnia vocabula multitudinis habere par ſingulare. omnes enim numeri a duobus ſurſum verſus multitudinis ſunt; neque eorum quiſquam habere poteſt ſingulare compar. Injuria igitur poſtulant, ſi qua ſint ſingularia, oportere habere multitudineis. Item qui reprehendunt, quod non dicatur, ut unguentum unguenta, vinum vina; ſic acetum aceta, garum gara: faciunt imperite, qui ibi deſiderant multitudinis vocabulum, quæ ſub menſuram ac pondera potius, quam ſub numerum ſuccedant. nam in plumbo, oleo, argento, cum incrementum acceſſit, dicimus, multum oleum, multum plumbum, argentum: non multa olea, plumba, argenta: cum quæ ex heiſce fiant, dicamus plumbea, & argentea. aliud enim cum ex argento: nam id tum cum jam vas argenteum, aut pocillum, aut quid item: quod pocilla argentea multa, non quod argentum multum. ea natura, in quibus eſt menſura, non numerus, ſi genera in ſe habent plura, & in uſum venerunt, & genere multo. ſic vina, unguenta dicta. alius enim generis vinum, quod Chio, alius quod Lesbo. Sic ex regionibus, quæ ipſa dicuntur, nunc melius unguenta, cui nunc genera aliquot. Si item diſcrimina magna eſſent olei & aceti, & ſic ceterarum rerum hujuſcemodi in uſu com-

muni, dicerentur ſic olea, ut vina. Quare in utraque denique re, ſcindere conantur analogiam: & cum in diſſimili uſu ſimilia vocabula quærunt; & cum item ea, quæ metimur, atque ea, quæ numeramus, dici putant oportere. Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea. contra quod privati dicunt unum balineum, quod plura balineas dicant. Quibus reſponderi poteſt, non eſſe reprehendendum, quod ſcalæ, & aquæ calidæ, pleraque, quæ cum multitudinis vocabuleis ſint appellata, neque eorum ſingularia in uſum venerint. Idemque, item contra primum balineum novum, & Græcum introiit in urbem, publice ibi concedit, ubi bina eſſent conjuncta ædificia lavandei cauſa; unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur: ab eadem ratione domi ſuæ quiſque ubi lavatur, balineum dixerit. & quod non erant duo balinea, dicere non conſueverunt: cum hoc antiqui non balineum, ſed Lavatrinam appellare conſueviſſent. Sic aquæ calidæ a loco, & quæ ubi ſcaterent, cum ut colerentur, & veniſſent in uſum noſtreis, cum aliæ ad alium morbum idoneæ eſſent. Hæ cum plures eſſent, ut Puteoleis, & in Tuſceis, quibus utebantur, multitudinis potius, quam ſingulari vocabulo appellarunt. Sic ſcalas, quod a ſcandendo dicantur, & ſingulos gradus ſcanderent: magis erat quærendum, ſi appellaſſent ſingulari vocabulo ſcalam, cum origo nominatus oſtenderet contra. Item reprehendunt de caſibus; quod quidam nominatus habent rectos, quidam

obliquos: quod dicunt utrosque in vocibus oportere. Quibus idem responderi potest: in quibus usus & natura non subsit, ibi non esse analogiam. sed ne in heis vocabuleis, quæ declinantur, si transeunt e recto casu in rectum casum. quæ tamen fere non discedunt a ratione sine justa causa. ut hi, qui gladiatores dicunt Faustinios. nam quod plerique dicuntur, ut treis extremas syllabas habeant easdem, Casceliani, Aquiliani, Cæciliani: animadvertant, unde oriuntur nomina dissimilia: Cascelius, Cæcilius, Aquilius, Faustius: recte dicerent Faustianos potius, quam Faustinios. sic a Scipione quidam male dicunt Scipionios. nam contra est Scipionarios. Sed, ut dixi, quod ab hujuscemodi cognominibus raro declinantur cognomina, neque in usum etiam perducta notant quædam. Item dicunt, cum sit simile stultus, luscus: & dicatur, stultus, stultior, stultissimus: non dici, luscus, luscior, luscissimus. sic in hoc genere multa. Ad quæ dico, ideo fieri, quod natura nemo lusco magis sit luscus: cum stultior fieri videatur. Quod rogant, cur non dicamus, mane, manius, manissime: item de vespertino tempore: vere magis & minus esse non potest; ante & post potest. itaque prius est hora prima, quam secunda, non magis hora. sed magis mane surgere tam dicitur, qui primo mane surgit, quam qui non prior. Ut enim dies non potest esse magis, quam mane; itaque ipsum hoc, quod dicitur magis, sibi non constat: quod magis mane significat primum mane, magis vespere, novissimum vesper. Item ab hujuscemodi similitudinibus

analogia, quod cum ſit anus, cadus ſimile, & ſit ab anu Anicula, Anicella, a cado duo reliqua, quod non ſint propagata: ſic non dicatur a piſcina, piſcinula, piſcinella. ad hujuſcemodi vocabula analogias eſſe, ut dixi, ubi magnitudo animadvertenda ſit in unoquoque gradu, & quæ ſit in uſu communi, ut eſt ciſta, ciſtula, ciſtella; & canis, catulus, catellus; quod in pecoris uſu non eſt. Itaque conſuetudo frequentius res in binas dividit parteis, ut majus & minus; ut lectus & lectulus, arca & arcula, ſic alia. Quod dicunt, caſus alia non habere rectos, alia obliquos, & ideo non eſſe analogias, falſum eſt. Negant habere rectos, ut in hoc, frugis, frugem, item roris, rorem; obliquos non habere, ut in hoc, Dieſpiter, Marſpiter. Ad hoc reſpondeo, & priora habere nominandei, & poſteriora obliquos. Nam & frugi rectus eſt natura frux: ac ſi ſecundum conſuetudinem dicimus, ut hæc avis, hæc ovis, ſic hæc frugis. Sic ſecundum naturam nominandei eſt caſus roris, ſecundum conſuetudinem ros; cum utrumque conveniat ad analogiam; quod & id, quod in conſuetudine non eſt, cujuſmodi debeat eſſe, apparet; & quod eſt in conſuetudine nunc in recto caſu, eadem eſt analogia ad pleraque, quæ ex multitudine cum tranſeunt in ſingulare, difficulter efferuntur ore. ſic cum tranſiretur ex eo, quod dicebatur hæ oves, una non eſt dicta oves, ſed additum I, ac factum ambiguum verbum, nominandei an patrici ſit caſus, ut ovis, & avis. Sic in obliqueis caſibus cur negant eſſe Marſpitris,

Diefpitris, non video: nifi quod minus eft tritum in confuetudine, quam Diefpiter: quod in nihil argumentum eft. nam iam cafus, qui non tritus eft, quam qui eft. Sed in cafuum ferie alia vocabula non habent nominandei, alia de obliqueis aliquem. Nihil enim video quo minus fi ratio percellere poterat hoc crimen. Nam ut figna, quæ non habent caput, aut aliquam aliam partem, nihilominus in reliqueis membreis eorum effe poffunt analogiæ, fic in vocabuleis cafuum. Poffunt item fieri, ac reponi quod aberit, ubi patietur natura & confuetudo; quod nonnunquam apud poetas invenimus factum. ut in hoc apud Nævium in Claftidio, Vita infepulta lætus in patriam redux it. Item reprehendunt, quod dicatur hæc ftrues, hic Hercules, hic homo: debuiffent enim dici (fi effet analogia) hic Hercul, hæc ftrus, hic homon. hæc oftendunt non analogiam non effe, fed obliquos cafus non habere caput ex fua analogia. nam ut in Alexandri ftatua fi impofueris caput Philippi, membra conveniunt ad rationem; fic & ad Alexandri membrorum fimulacrum caput, quod refpondeat, ita fit. Nam fi quis tunicam in ufu ita confuit, ut altera plagula fit anguſteis claveis, altera lateis: utraque pars in fuo genere caret analogia. Item negant effe analogias, quod alii dicunt cupreffus, alii cupreffei. item de ficeis, plataneis, & plerifque arboribus; de quibus alii extremum US, alii EI faciunt. Id eft falfum. nam debent dici hei & hæ ficei: quod eft ut nummei, ficei, ut nummorum, ficorum. fi effent plures ficus, ut ma-

nus, diceremus ut manibus, ſic ficibus, & ut manuum, ſic ficuum. neque has ficos diceremus, ſed ficus, ut non manos, ſed manus. Sed neque conſuetudo diceret ſingulareis obliquos caſus hujus fici, neque ab hac fico: ut non dicit hujus mani, ſed hujus manus, & ab hac mano, ſed manu. Et illud putant eſſe cauſæ, cur non ſit analogia, quod Lucilius ſcribit, Decuis, ſive decuſſis eſt. qui errant; quod Lucilius non debuit dubitare, quod utrumque: nam in ære uſque ab aſſe ad centuſſis numerus æs adſignificat, & ejus numero finiti caſus omnes a dupondio ſunt. quod dicitur a multeis duobus modeis, hic dupondius, & hoc dupondium: ut hoc gladium, & hic gladius. a treſſibus virilia multitudinis hei treſſes & heis treſſibus: cum ſit ſingulare hoc treſſis ab eo, ſic deinceps ad centuſſis. Deinde numerus æs non ſignificat. numeri, qui æs non ſignificant, uſque a quattuor ad centum, tripliceis habent formas; quod dicuntur hei quattuor, hæ quattuor, hæc quattuor; cum perventum eſt ad mille, quartum adſumit ſingulare neutrum: quod dicitur hoc mille denarium, a quo multitudinis fit millia denaria. Quare quom ad analogias quod pertineat, non eſt ut omnia ſimilia dicantur. ſed ut in ſuo quæque genere ſimiliter declinentur; ſtulte quærunt, cur as & dupondius & treſſis non dicantur proportione: cum as ſit ſimplex, dupondius fictus, quod duo aſſes pendebat, treſſis ex tribus æris, quod ſic pro aſſibus nonnunquam æs dicebant antiqui. a quo dicimus aſſem tenentes, Hoc ab ære, æneaque libra: & mille æris legaſſe. quare, quod

a treſſis uſque ad centuſſis numeri ejuſmodi ſunt compoſiti: ejuſmodi habent ſimilitudinem: dupondius, quod diſſimilis eſt, ut debuit, diſſimilem habet rationem. Sic as, quoniam ſimplex eſt ac principium, & unum ſignificat, & multitudinis habet ſuum infinitum. dicimus enim aſſes: quos cum finimus, dicimus dupondius & treſſis, & ſic porro. Videtur mihi, quoniam finitum & infinitum habeat, ſimilitudinem non habere, utrumque item dici: eo magis, quod in ipſeis vocabuleis ubi additur certus numerus, aliter atque in reliqueis dicitur. Nam ſic loquuntur, hoc mille denarium, non hoc mille denarii: &, hæc duo millia denarium, non duo millia denarii. Si eſſet denarii in recto caſu, atque infinitam multitudinem ſignificaret, tunc in patrico denariorum dici oportebat. & non ſolum in denariis, victoriateis, drachmeis, nummeis, ſed etiam in vireis idem ſervari oportere, cum dicimus judicium fuiſſe triumvirum, decemvirum, non triumvirorum, decemvirorum. Numeri antiqui habent analogias, quod omnibus eſt una novenaria regula, duo actus, tres gradus, ſex decuriæ; quæ omnia ſimiliter inter ſe reſpondent. regulæ eſt numerus novenarius, quod ab uno novem cum pervenimus, rurſus redimus ad unum, & hinc unum & nongenta ab una ſunt natura novenaria. ſic ab octonaria & deorſum verſus ad ſingularia perveniunt. Actus primus eſt ab uno ad nongenta: ſecundus, a mille ad nongenta millia; quod idem valebat unum, & mille: utrumque ſingulari numero appellant. Nam ut dicitur hoc unum,

hæc duo millia, & ſic deinceps multitudineis: in duobus actibus reliqui omnes item numeri. Gradus ſingularis eſt in utroque actu ab uno ad novem: denarius gradus a decem ad nonaginta: centenarius ad nongenta. ita tribus gradibus ſex decuriæ fiunt, tres milliariæ, & tres minores. antiqui heis numereis fuerunt contenti. Ad hos tertium & quartum actum a deciens minora impoſuerunt vocabula, neque ratione: ſed tamen non contra eſt eam, de qua ſcribimus, analogiam. Nam ut deciens cum dicatur, hoc deciens, ut hoc mille, hujus mille, ut ſit utrumque ſine caſibus vocis, dicemus, ut hoc mille, hujus mille, ſic hoc deciens, hujus deciens: nec eo minus in altero, quod eſt mille, præponemus hei mille, horum mille. Quoniam in eo eſt nomen commune, quam vocant ὁμωνυμίαν obliqui caſus; ab eodem capite ubi erit ὁμωνυμία, quo minus diſſimiles fiant, analogia non prohibet. Itaque dicimus hic Argus, cum hominem dicimus; cum oppidum, Græcanice hoc Argos, Latine hei Argei, item faciemus. eadem vox nomen & verbum ſignificabit, ut in caſus & in tempora diſpariliter declinetur, ut faciamus a Meto, quod nomen eſt, Metonis, Metonem: quod verbum eſt, meto, metis, metam, metebam. Reprehendunt, cum ab eadem voce plura ſunt vocabula declinata, & ſunt quas συνωνυμίας appellant, ut Sappho, & Alcæus, & Alcæo, ſic Geryon, & Geryones, & Geryonas: in hoc genere, quod caſus perperam permutant quidam, non reprehendunt analogiam, ſed qui eis utitur imperite. quod quiſque caput pertenderit,

ſequi debet ejus conſequentias caſus in declinando; ac non facere, cum dixerit recto caſu Alcæus, in obliqueis dicere Alcæoni & Alcæonem: quod ſi inſtiterit, & non ſecutus erit analogias. Reprehendendum Ariſtarchum, quod hæc nomina Melicertes & Philomedes ſimilia neget eſſe, quod vocandei caſus habet alter Melicerta, alter Philomede. Sic qui dicat lepus & lupus, non eſſe ſimile, quod alterius vocandei caſus ſit lupe, alterius, lepus. Sic ſocer, macer, quod in tranſitu fiat ab altero triſyllabum ſoceri, ab altero biſyllabum macri. De hoc etſi ſupra reſponſum eſt, cum dixi de lana, heic quoque amplius adjiciam, ſimilia non ſolum a facie dici, ſed etiam ab aliqua conjuncta vi & poteſtate, quæ & oculeis & auribus latere ſoleat. itaque ſæpe gemina facie mala negamus eſſe ſimilia, ſi ſapore ſunt alio. Sic equos eadem facie nonnullos negamus eſſe ſimileis in nationes ex procreante diſſimileis. Itaque in hominibus emendeis, ſi natione alter eſt melior, emimus pluris. atque in heiſce omnibus ſimilitudines non ſumimus tantum a figura, ſed etiam aliunde, ut in equeis ætas, ut in heis cujuſmodi faciant pullos: ut in pomeis, quo ſint ſucco. ſi igitur idem ſequitur in ſimilitudine verborum quis, reprehendendus non eſt. quare diſſimilitudinum diſcernendarum cauſa nonnunquam ut pronomen adſumitur, ſic caſum aliquem adſumi, ut in heis nemus, lepus, hic lepus, hoc nemus. Itaque differunt, ac dicuntur hei lepores, hæc nemora, ſic aliud ſi quid adſumtum erit extrinſecus, quo ſimilitudo penitus perſpici poſſit. non enim

erit remotum a natura. neque enim magnetes lapides duo inter ſe ſimiles ſint necne, perſpicere poſſis, niſi minutum extrinſecus prope appoſueris ferrum; quod ſimiles lapides ſimiliter ducunt, diſſimiliter diſſimiles. Quod ad nominationum analogiam pertinet, ita declinatum arbitror, ut omnia, quæ dicuntur contra, ad reſpondendum ab heis ſumi fontibus poſſit. Quod ad verborum rationem attinet, cum partes ſint quattuor, temporum, perſonarum, generum, diviſionum; ex omni parte quoniam reprehendunt, ad ſingula reſpondebo. Primum quod ajunt, analogias non ſervari in temporibus, cum dicant, lego, legi, legam, & ſic ſimile alia; nam quæ ſunt ut legeram, perfectum ſignificare, duo reliqua, legam & lego, inchoatum; injuria reprehendunt. Nam ex eodem genere & diviſione idem verbum, quod ſumtum eſt, per tempora traduci poteſt: ut diſcebam, diſco, diſcam: & eadem perfecti, ſic, didiceram, didici, didicero; ex quo licet ſcire verborum rationem conſtare. Sed eos, qui trium temporum verba pronuntiare velint, ſcienter id facere ſcire licet. Item illos, qui reprehendunt, quod dicimus, amor, amabor, amatus ſum. non enim debuiſſe in una ſerie unum verbum eſſe duplex, cum duo ſimplicia eſſent. Neque ex diviſione uniuſmodi pæne verba diſcrepant inter ſe. nam infecta omnia ſimplicia ſimilia ſunt, & perfecta duplicia inter ſe paria in omnibus verbeis: ut heic, amabar, amor, amabor, amatus ero. quare item male dicunt, ferio, feriam, percuſſi; quod eſt ordo, feriam, ferio, feriebam: & item per-

cuſſi, percutio, percutiam. ſic deinceps in reliqueis temporibus reprehendenti reſponderi poteſt. Similiter errant, qui dicunt, ex utraque parte verba omnia commutare ſyllabas oportere, ut in heis, pungo, pungam, pupugi: tundo, tundam, tutudi. diſſimilia enim conferunt, verba infecta cum perfecteis. Quod ſi infecta modo conferrent, omnia verbi principia incommutabilia viderentur: ut in heis, pungebam, pungo, pungam. Et contra ex utraque parte commutabilia, ſi perfecta ponerent, ut pupugeram, pupugi, pupugero. Item male conferunt, fui, ſum, ero: quod fui eſt perfectum: cujus ſeries ſibi, ut debet, in omnibus perſoneis & formeis conſtat: quod eſt, fueram, fui, fuero, de infecteis. ſum, quod nunc dicitur, dicebatur eſum: & in omnibus perſoneis conſtabat, quod dicebatur, eſum, es, eſt: eram, eras, erat: ero, eris, erit. ſic hujuſmodi cetera ſervare analogiam videbis. Etiam hoc reprehendunt, quod quædam verba neque perſonas habent ternas, neque tempora terna. Id imperite reprehendunt, ut ſi quis reprehendat naturam, quod non uniuſmodi finxerit animaleis omneis. Si enim natura non omnes formæ verborum terna habeant tempora, ternas perſonas: non habent totidem verborum diviſiones: quare cum imperamus naturæ, quod infecta ſolum habet: cum & præſenti & abſenti imperamus, fiunt terna, ut lege, legito, legat. perfectum enim imperat nemo. contra quæ ſunt fatendei, ut, lego, legis, legit, novena fiunt verba infecti, novena perfecti. Quocirca non ſi genus cum genere diſcre-

pat, ſed in ſuo quiſque genere ſi quid deeſt, requirendum : ad hæc addita ſi erunt ea, quæ de nominativeis ſupra ſunt dicta, facilius omnia ſolventur. Nam ut illeic extremum caput rectos caſus, ſic heic in forma eſt perſona ejus, qui loquitur, & tempus præſens : ut ſcribo, lego. quare ut illeic ſit, ſic heic item acciderit in formula, ut aut caput non ſit, aut ex alieno genere ſint proportione eadem, quæ illeic dicimus, cur nihilominus ſervetur analogia : item ſicut illeic caput ſuum habebit, & in obliqueis caſibus tranſitio erit in aliquam formulam, qua adſumta, reliqua facilius poſſunt videri verba unde ſint declinata. Fit enim, ut rectus nonnunquam ſit ambiguus : ut in hoc verbo Volo, quod id duo ſignificat : unum a voluntate, alterum a volando. Itaque a Volo intellegimus & volare & velle. Quidam reprehendunt, quod Pluit & Luit dicamus in præterito & præſenti tempore, cum analogiæ ſui cujuſque temporis verba debeant diſcriminare. Falluntur : nam eſt, ac putant, aliter : quod in præteriteis U dicimus longum luit, pluit : in præſenti breve luit, pluit. Ideoque in venditionis lege fundi ruta cæſa ita dicimus, ut U producamus. Item reprehendunt quidam, quod putant idem eſſe ſacrifico & ſacrificor, & lavat, & lavatur. quod ſit an non, nihil commovet analogiam ; dum ſacrificat, qui dicat, ſervet ſacrificabo, & ſic per totam formam. nec dicat ſacrificandus, aut ſacrificatus ſum. hæc enim inter ſe non conveniunt. Apud Plautum cum dicit, Piſceis ego credo, qui uſque dum vivunt, adlavant, diu minus

lavari, quam hæc lavat Phronesium. Adlavant lavari non convenit; ut T sit postremum, sed R, ut lavantur. analogia adlavari reddit, quod Plauti aut librarii mendum fuit. si est, non ideo analogia, sed qui scripsit, est reprehendendus. omnino & lavant & lavantur dicitur separatim recte in rebus certeis: quod puerum nutrix lavat, puer a nutrice lavatur: nos in balineis & lavamus & lavamur. Sed consuetudo alterutrum cum satis haberet, in toto corpore potius utimur Lavamur, in partibus, Lavamus. quod dicimus lavo manus, sic pedes, & cetera. Quare & in balineis non recte dicunt Lavi, lavi manus recte. sed quoniam in balineis lavor, lavatus sum, sequitur. ut contra, quoniam est soleo, oportet dici Solui, ut Cato & Ennius scribunt, non, ut dicit volgus, Solitus sum, debere dici. neque propter hæc, quod hæc quoque discrepant in sermone pauca, minus est analogia, ut supra dictum est. Item cur non sit analogia, adferunt, quod a similibus similia non declinantur, ut ab dolo, & colo. ab altero enim dicitur dolavi, ab altero colui. In quibus adsumi solet aliquid, quo facilius reliqua dicantur, ut in Myrmecidis operibus minuteis solet fieri. Igitur in verbeis temporalibus quom similitudo sæpe sit confusa, ut discerni nequeat, nisi transieris in aliam personam, aut in tempus, quæ præposita sunt, nosse, similia intelleguntur, cum transitum est in aliam personam: quod alterum est, dolas, alterum colis. Itaque in reliqua forma verborum suam uterque sequitur formam, utrum in secunda forma verborum tempo-

rale habeat in extrema ſyllaba AS, ac ſi ad diſcernendas diſſimilitudines intereſt: quocirca quare ibi potius index analogiæ, quam in prima? quod ibi abſtruſa eſt diſſimilitudo, ut apparet in heis, meo, neo, veho. ab heis enim diſſimilia fiunt tranſitu. quod ſic dicuntur, meas, nes, vehis: quorum unumquodque ſuas conſervat ſimilitudinis formas. Analogiam item de heis, quæ appellantur participia, reprehendunt multa injuria. Nam non debent duci terna a ſinguleis verbeis, amaturus, amans, amatus: quod eſt ab amo, amans, & amaturus: ab amor, amatus. Illud analogia quod præſtare debet, in ſuo quidque genere habet caſus, ut amatus, amato, amati: & ſic in mulieribus, amata, amatæ: item amaturus ejuſmodi habet declinationes. amans paulo aliter, quod hoc genus omnia ſunt in ſuo genere ſimilia proportione. ſic virilia & muliebria ſunt eadem. De eo, quod in priore libro extremum eſt, ideo non eſt analogia: quod qui de ea ſcripſerint, aut inter ſe non conveniant, aut in quibus conveniant, ea cum conſuetudinis diſcrepant verbeis utcunque. Sic enim omneis repudiandum eſt arteis: quod in medicina & in muſica & in aliis multeis diſcrepant ſcriptores. item in quibus conveniunt, ut ſcripteis, ſic etiam re repudiant. nam quod ita dicitur, non ſit ars, ſed artifex reprehendendus, qui debet in ſcribendo non vidiſſe verum: non ideo non poſſe ſcribi verum. qui dicit hoc monti, & hoc fonti, cum alii dicant hoc monte & hoc fonte: ſic alia, quæ duobus modeis dicuntur, cum alterum ſit verum, alterum,

falsum : non uter peccat, tollit analogias ; sed uter recte dicit, confirmat : & quemadmodum is, qui cum peccat in heis verbeis, ubi duobus modeis dicuntur, non tollit rationem, cum sequitur falsum : sic etiam in heis, quæ non duobus dicuntur, si quis aliter putat dici oportere atque oportet, non scientiam tollit orationis, sed suam inscitiam nudat. Quibus rebus solvi arbitraremur posse quæ dicta sunt priore libro contra analogiam, ut potui, brevi percurri. Ex quibus si id confecissent, quod volunt, ut in lingua Latina esset anomalia, tamen nihil egissent : ideo quod in omnibus partibus mundi utraque natura inest ; quod alia inter se, alia sunt, sicut in animalibus, dissimilia : ut equus, bos, ovis, homo, item alia in unoquoque horum genere inter se similia innumerabilia. Item in piscibus, dissimilis muræna lupo, heis soleæ, hæ murænæ, & mustellæ, sic aliis. ut major ille numerus sit similitudinum earum, quæ sunt separatim in muræneis, separatim in aselleis, sic in generibus aliis. Quare cum in inclinationibus verborum numerus sit magnus a dissimilibus verbeis ortus, quod etiam vel major est, in quibus similitudines reperiuntur, confitendum est, esse analogias. Itemque cum ea non multo minus, quam in omnibus verbeis, patiatur uti consuetudo communis; fatendum illud, quodammodo analogiam sequi nos debere universos, singulos autem, præterquam in quibus verbeis offensura sit consuetudo communis : quod, ut dixi, aliud debet præstare populus, aliud e populo singuli homines. Neque id mirum est, cum singuli quoque non sint

eodem jure. nam liberius poteſt poeta, quam orator, ſequi analogias. Quare, cum hic liber id, quod pollicitus eſt demonſtraturum, abſolverit, faciam finem, proximo deinceps de declinatorum verborum forma ſcribam.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIBER NONUS.

In verborum declinationibus diſciplina loquendei diſſimilitudinem an ſimilitudinem ſequi deberet, multi quærunt. Cum ab heis ratio, quæ a ſimilitudine oriretur, vocaretur analogia, reliqua pars appellaretur anomalia: de qua re primo libro, quæ dicerentur, cur diſſimilitudinem ducem habere oporteret, dixi. Secundo contra quæ dicerentur, cur potius ſimilitudinem conveniret præponi. quarum rerum quod nec fundamenta, ut debuit, poſita ab ullo, neque ordo ac natura, ut res poſtulat, explicata, ipſe ejus rei formam exponam. Dicam de quattuor rebus, quæ continentur declinationibus verborum: quid ſit ſimile ac diſſimile, quid ratio, quam appellant λόγον, quid proportio, quod dicunt ἀνάλογον, quid conſuetudo. quæ explicatæ declarabunt analogiam & anomaliam, unde ſit, quid ſit, cujuſmodi ſit. De ſimilitudine & diſſimilitudine ideo primum dicendum, quod ea res eſt fundamentum omnium declinationum, ac continet ra-

tiones verborum. Simile eſt, quod res pleraſque videtur habere eaſdem, quas illud cujuſque ſimile. Diſſimile eſt, quod videtur eſſe contrarium. hujus minimum ex duobus conſtat omne ſimile, item diſſimile. quod nihil poteſt eſſe ſimile, quin alicujus ſit ſimile: item nihil dicitur diſſimile, quin addatur, quojus id ſit diſſimile. Sic dicitur ſimilis homo homini, equus equo: & diſſimilis homo equo: nam ſimilis eſt homo homini, ideo quod eaſdem figuras membrorum habent, quæ eos dividunt ab reliquorum animalium ſpecie: in ipſeis hominibus ſimili de cauſa vir viro ſimilior, quam vir mulieri, quod plures habent eaſdem partes: & ſic ſenior ſeni ſimilior, quam puero. Eo porro ſimiliores ſunt, qui facie quoque pæne eadem, habitu corporis ſimili. Itaque qui plura habent eadem, dicuntur ſimiliores: qui proxime accedunt ad id, ut omnia habeant eadem, vocantur gemini, ſimillimi. Sunt, qui treis naturas rerum putent eſſe, ſimile, diſſimile, neutrum, quod alias vocetur non ſimile, alias non diſſimile. Sed quamvis tria ſint, ſimile, diſſimile, neutrum, tamen poteſt dividi etiam in duas parteis: ſic, quodcunque conferas, aut ſimile eſſe, aut non eſſe. ſimile eſſe & diſſimile, ſi videatur eſſe, ut dixi: neutrum, ſi in neutram partem præponderet: ut ſi duæ res, quæ conferuntur, vicenas habent parteis, & in heis denas habeant eaſdem, denas alias ad ſimilitudinem & diſſimilitudinem æque animadvertendas. hanc naturam plerique ſubjiciunt ſub diſſimilitudinis nomen. Quare quoniam fit, ut potius de vocabulo, quam de re controverſia

esse videatur: illud est potius advertendum, cum simile esse dicitur quid, cui parti simile dicatur esse. in hoc enim solet esse error, quod potest fieri, ut homo homini simile sit, & non sit, ut multas partes habeat simileis: & ideo dici possit simileis habere oculos, manus, pedes, sic alias res separatim, & una plures. Itaque, quod diligenter videndum est in verbeis, quas parteis & quot modeis oporteat ut simileis dicantur, ut infra apparebit: is locus maxime lubricus est. Quid enim similius potest videri indiligenti, quam duo verba hæc, suis, & suis? quæ non sunt: quod alterum significat suere, alterum suem. Itaque similia esse vocibus ac syllabeis confitemur, dissimilia esse partibus orationis videmus: quod alterum habet tempora, alterum casus. quæ duæ res vel maxime discernunt analogias. Item, propinquiora genere inter se verba similem sæpe pariunt errorem, ut in hoc, quod nemus & lepus videntur esse simile, quod utrumque habuerit eundem casum rectum: sed non est simile, quod eis certæ similitudines opus sunt, in quo est, ut in genere nominum sint eodem. quod in heis non est: nam in virili genere est lepus, & neutro nemus: dicitur enim hic lepus, & hoc nemus. Si ejusdem generis essent, utrique præponeretur idem, ac diceretur aut hic lepus, & hic nemus: aut hoc lepus, & hoc nemus. quare, quæ & cujusmodi sunt genera similitudinum ad hanc rem, perspiciendum ei, qui declinationes verborum proportione sintne, quæret. Locum hunc, quod est difficilis, qui de heis rebus scripserunt, aut vitaverunt, aut incepe-

runt, neque adſequi potuerunt. itaque in eo diſſenſio, neque ea uniuſmodi, apparet. nam alii de omnibus univerſeis diſcriminibus poſuerunt numerum: ut Dionyſius Sidonius, qui ſcripſit eas eſſe ſeptuaginta unam: alii, partes ejus, quæ habent caſus: cujus eadem hic cum dicat eſſe diſcrimina quadraginta ſeptem, Ariſtoteles retulit in literas quattuordecim, Neſtocles Parmeniſius in literas octo: ſic alii pauciora aut plura. quarum ſimilitudinum ſi eſſet origo recte capta, & inde orſa ratio, minus erraret in declinationibus verborum. quarum ego principia prima duorum generum ſola arbitror eſſe, ad quæ ſimilitudines exigi oporteat: e queis unum poſitum in verborum materia, alterum ut in materiæ figura, quæ ex declinatione ſit. Nam debet eſſe unum, ut verbum verbo, unde declinetur, ſit ſimile: alterum, ut e verbo in verbum declinatio, ad quam conferatur, ejuſdem modi ſit. alias enim a ſimilibus verbeis ſimiliter declinantur, ut ab herus, ferus, hero, fero: alias diſſimiliter herus, ferus, heri, ferum. Cum utrumque & verbum verbo erit ſimile, & declinatio declinationi; tum denique dicam eſſe ſimilem, ac duplicem & perfectam ſimilitudinem habere: id quod poſtulat analogia. Sed ne aſtutius videar poſuiſſe duo genera eſſe ſimilitudinum ſola, cum utriuſque inferiores ſpecies ſint plures; ſi de heis reticuero, ut mihi relinquam latebras, repetam ab origine ſimilitudineis, quæ conferendeis verbeis & inclinandeis ſequendæ aut vitandæ ſint. Prima diviſio in oratione, quod alia verba nuſquam declinantur, ut hæc, vix,

mox: alia declinantur, ut a limo, limabo: a fero, ferebam: & cum nisi in heis verbeis, quæ declinantur, non possit esse analogia, qui dicit simile esse mox & nox, errat: quod non est ejusdem generis utrumque verbum, cum nox succedere debeat sub casuum ratione, mox neque debeat, neque possit. Secunda divisio est de heis verbeis, quæ declinari possunt: quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appello, cum unusquisque a nomine alio imponit nomen, ut Romulus, Roma. Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo, qui imponit, non requirimus quemadmodum id velit declinari: sed ipsi declinamus, ut hujus Romæ, hanc Romam. De heis duabus partibus, voluntaria declinatio refertur ad consuetudinem, naturalis ad rationem. Quare proinde ac simile, conferri non oportet, ac dicere, ut sit a Roma Romanus, sic ex Capua dici oportere Capuanus. quod in consuetudine vehementer nutat: quod declinantes imperite rebus nomina imponunt, a quibus cum accepit consuetudo, turbulenta necesse est dicere. itaque neque Aristarchus, neque alii in analogiis defendendam ejus susceperunt causam. Sed, ut dixi, hoc genere declinatio in communi consuetudine verborum ægrotat & languescit: quod oritur e populi multiplici imperio. itaque in hoc genere in loquendo magis anomalia, quam analogia. Tertia divisio est, quæ verba declinat a natura. ea dividitur in parteis quattuor. in unam primam, videlicet, quæ habet casus, neque tempora habet: ut docilis, facilis: in alteram, quæ tempora habet, neque ca-

ſus: ut docet, facit: in tertiam, quæ utraque habet, ut docens, faciens: in quartam, quæ neutrum, ut docte. Ex hac diviſione ſinguleis partibus tres reliquere diſſimiles. Quare niſi in ſua parte inter ſe collata erunt verba, ſi non conveniunt, non erit ita ſimile, ut debeat facere idem. In articuleis vix adumbrata eſt analogia: & magis vocum, quam rerum: in nominibus magis expreſſa: ac plus etiam in vocibus ac ſimilitudinibus, quam in rebus, ſuam obtinet rationem. Etiam illud accedit, in articuleis, habere analogias, oſtendere ſit difficile, quod ſingula ſint verba: heic contra facile, quod magna ſit copia ſimilium nominum. Quare non tam hanc partem ab illa dividendum, quam illud videndum, ut ſatis ſit verecundi, etiam illam in eandem harenam vocare pugnatum. Ut in articuleis duæ partes, finitæ & infinitæ: ſic in vocabuleis duæ, vocabulum & nomen. non enim idem, oppidum, & Roma: cum oppidum, ſit vocabulum, Roma, nomen. quorum diſcrimen in heis reddendeis rationibus alii diſcernunt, alii non. nos, ſicubi opus fuerit, quid ſit, & cur, adſcribimus uniuſcujuſque partes. quoniam ſpecies plures, de ſinguleis dicam. Prima pars caſualis dividitur in parteis duas, in nominativum ſcilicet: quod finitum & infinitum eſt, ut hic & quis. de heis generibus duobus utrum ſumſeris, cum reliquo non conferendum, quod inter ſe diſſimiles habeant analogias nominatus. Ut ſimilis ſit nominatus, habere debet, ut ſit eodem genere, ſpecie eadem, ſic caſu, exitu. Genere, ut, ſi nomen eſt, quod conferas ſit nomen. Specie ſi-

mile, ut non ſolum, ſed utrumque ſit virile. Caſu ſimile, ut ſi alterum ſit dandei, item alterum ſit dandei, quocum conferas. Exitu, ut quas unum habeat extremas literas, eaſdem alterum habeat. Ad hunc quadruplicem fontem ordines diriguntur bini: uni, tranſverſi; alteri, directi, ut in tabula ſolet, in qua latrunculeis ludunt. Tranſverſi ſunt, qui a recto caſu obliqui declinantur, ut albus, albi, albo: directi ſunt, qui a recto caſu in rectos declinantur, ut albus, alba, album: utrique ſunt partibus ſeneis. Tranſverſorum ordinum partes appellantur caſus: directorum, genera: utreiſque inter ſe implicateis, forma. Dicam prius de tranſverſeis. Caſuum vocabula alius alio modo appellavit. nos dicemus, qui nominandei cauſa dicitur, nominandei, vel nominativum.

Deſunt paginæ tres.

& ſcopæ dicitur una ſcopa. aliter enim natura, quod priora ſimplicibus, poſteriora conjuncteis rebus vocabula ponuntur. ſic bigæ, ſic quadrigæ, a conjunctu dictæ. itaque non dicitur, ut hæc una, lata, & alba: ſic una biga, ſed unæ bigæ: neque ut dicitur, ut hæ duæ, latæ, albæ, ſic hæ duæ bigæ, & quadrigæ. Item figura verbi qualis ſit refert, quod in figura vocis alias commutatio ſit in uno verbo in medio, ut curſo, curſito: alias in extremo, ut doceo, docui: alias communis, ut lego, legi. Refert igitur, ex quibus litereis quodque verbum conſtet, maxime extrema, quod ea in plereiſque commutantur. quare in heis quoque partibus ſimilitudines ab aliis male, ab aliis bene,

quod ſolent ſumi in caſibus conferendeis, recte an perperam videndum. ſed ubicunque commoventur literæ, non ſolum hæ ſunt animadvertendæ, ſed etiam quæ proximæ ſunt, neque moventur. hæc enim vicinitas aliquantum poteſt in verborum declinationibus. In queis figureis non ea ſimilia dicemus, quæ ſimileis res ſignificant: ſed quæ ea forma ſint, ut ejuſmodi res ſimilia ex inſtituto ſignificare plerumque ſoleant. ut tunicam virilem & muliebrem, dicimus non eam, quam habet vir aut mulier, ſed quam habere ex inſtituto debet. poteſt enim muliebrem vir, virilem mulier habere, (ut in ſcæna ab actoribus haberi videmus:) ſed eam dicimus muliebrem, quæ de eo genere eſt, quo indutu mulieres ut uterentur, eſt inſtitutum. ut actor ſtolam muliebrem, ſic Perperna, & Cæcina, & Purpurina figura muliebria dicuntur habere nomina, non mulierum. Flexuræ quoque ſimilitudo videnda, ideo quod alia verba quam vim habeant, ex heis verbeis, unde declinantur, apparet, ut quemadmodum oporteat, ut a prætor, conſul; prætori, conſuli. Alia ex tranſitu intelleguntur, ut, ſocer, macer: quod alterum fit ſocerum, alterum, macrum: quorum utrumque in reliqueis a tranſitu ſuam viam ſequitur & in ſingularibus, & in multitudinis declinationibus. hoc fit ideo, quod naturarum genera ſunt duo, quæ inter ſe conferri poſſunt. unum, quod per ſe videri poteſt, ut homo & equus: alterum ſine adſumta aliqua re extrinſecus perſpici non poſſit, ut Eques, & Equito. utrumque enim dicitur ab equo: quare hominem

homini ſimilem eſſe, aut non eſſe, ſi contuleris, ex heis ipſeis homini animadverſeis ſcies. Ac duo inter ſe ſimiliterne ſint longiores, quam ſint eorum fratres, dicere non poſſis, ſi illeis breviores, cum quibus conferuntur, quam longi ſint ignorentur. ſic latiorum atque altiorum, item cetera ejuſdem generis, ſine adſumto extrinſecus aliquo perſpici ſimilitudines non poſſunt. Sic igitur quidam caſus, quod ex hoc genere ſunt, non facile eſt dicere ſimiles eſſe, ſi eorum ſingulorum ſolum animadvertas voces: niſi adſumſeris alterum, quo flectitur in tranſeundo vox.

Quod ad nominatuum ſimilitudines animadvertendas arbitratus ſum ſatis eſſe augere, hæc ſunt. Relinquitur de articuleis. in quibus quædam eadem, quædam alia. De quinque enim generibus duo prima habent eadem, quod ſunt & virilia, & muliebria, & neutra; & quod alia ſunt, ut ſignificent unum, alia ut plura; & de caſibus, quos habent quinos. nam vocandei voce notatus non eſt. Proprium illud habent, quod partim ſint finita, ut hic & hæc; partim infinita, ut quis & quæ: quorum quod adumbrata & tenuis analogia, in hoc libro plura dicere non neceſſe eſt. Secundum genus, quæ verba tempora habent, neque caſus, ſed habent perſonas, eorum declinatuum ſpecies ſunt ſex. Una, quæ dicitur temporalis, ut legebam, gemebam; lego, gemo. Altera, perſonarum, ut ſero, meto; ſeris, metis. Tertia, rogandei, ut ſcribone, legóne; ſcribiſne, legiſne? Quarta, reſpondendei, ut fingo, pingo; fingis, pingis. Quinta,

optandei, ut dicerem, facerem; dicam, faciam. Sexta, imperandei, ut cape, rape; capito, rapito. Item ſunt declinatuum ſpecies quattuor, quæ tempora habent ſine perſoneis, in rogando: ut foditurne? ſeriturne? &, fodieturne? ſereturne? Ab reſpondendei ſpecie eædem figuræ fiunt extremeis ſyllabeis demteis. Optandei ſpecies, ut vivatur, ametur; viveretur, amaretur. Imperandei declinatus ſintne, habet dubitationem: & earum ſitne hæc ratio, paretur, pugnetur; parari, & pugnari. Accedunt ad has ſpecies a copuleis diviſionum quadrineis, ab infecti, & perfecti, emo, edo; emi, edi: a ſemel & ſæpius, ut lego, ſcribo: lectitavi, ſcriptitavi: faciendei, & patiendei, ut uro, ungo; uror, ungor. A ſingulari & multitudinis, ut laudo, culpo; laudamus, culpamus. Hujus generis verborum, cujus ſpecies expoſui, quam late quidque pateat, & cujuſmodi efficiat figuras, in libreis, qui de formuleis verborum erunt, diligentius expedietur. Tertii generis, quæ declinantur cum temporibus & caſibus, ac vocantur a multeis ideo participalia, hoc eſt gerundi.

Deſunt paginæ tres.

quemadmodum declinamus, quærimus caſus ejus, etiamſi is, qui finxit poeta aliquod vocabulum, & ab eo caſu ipſe aliquem perperam declinavit, potius eum reprehendimus, quam ſequimur. Igitur ratio, quam dico, utrobique eſt & in heis verbeis, quæ imponuntur, & in heis, quæ declinantur: neque non etiam tertia illa, quæ ex utroque miſcetur genere. Quarum unaquæque ratio conlata cum

altera, aut ſimilis, aut diſſimilis, aut ſæpe verba alia, ratio eadem; & nonnunquam ratio alia, verba eadem. Quæ ratio in amor, amori, eadem in dolor, dolori; neque eadem in Dolor, dolorem: & cum eadem ratio, quæ eſt in amor & amoris, ſit in amores & amorum, tamen ea, quod non in ea, quæ oportet, confertur materia, per ſe ſolum efficere non poteſt analogias, propter diſparilitatem vocis figurarum. quod verbum copulatum ſingulare cum multitudine, ita cum eſt proportione, ut eandem habeat rationem: tum denique ea ratio conficit id, quod poſtulat analogia: de qua deinceps dicam. Sequitur tertius locus, quæ ſit ratio & proportio, quæ a Græceis vocatur ἀνάλογον: hinc dicta analogia. Ex eodem genere, quæ res inter ſe aliqua parte diſſimiles rationem habent aliquam, ſi ad eas duas alteræ res duæ conlatæ ſunt, quæ rationem habeant eandem: quod ea verba bina habent eundem λόγον, dicitur utrumque ſeparatim analogon: ſimul conlata quattuor, analoga. Nam ut in gemineis, cum ſimile dicimus eſſe Menæchmum Menæchmo, de uno dicimus, cum ſimilitudinem eſſe in heis, de utroque videatur: ſic cum dicimus, eandem rationem habere aſſem ad ſemiſſem, quam habet in argento libella ad ſembellam, quid ſit analogon, oſtendimus: cum utrobique dicimus & in ære & argento eſſe eandem rationem: cum dicimus de analogia, ut ſodalis & ſodalitas, civis & civitas, non eſt idem: ſed utrumque ab eodem, ac conjunctum. ſic analogon & analogia idem non eſt, ſed item eſt congeneratum.

Quare, si homines subſtuleris, sodales subſtuleris: si sodales, sodalitatem. Sic item si subſtuleris λόγον, subſtuleris analogon: si id, analogiam. quæ cum inter se tanta sint cognatione, debebit subtilius audiri, quam dici exſpectare. id eſt, cum dixero quid de utroque, & erit commune, exſpectes, dum ego in scribendo transferam in reliquum. Sed ut potius tu perſequare animo, hæc fiunt in diſſimilibus rebus. ut in numereis, si contuleris cum uno duo, sic cum decem viginti. Nam quam rationem duo ad unum habent, eandem habent viginti ad decem. In nummeis in similibus, sic eſt ad unum victoriatum denarius, sicut ad alterum victoriatum alter denarius. Sic item in aliis rebus omnibus proportione dicuntur, in quo eſt: sic quadruplex natura, ut in progenie, ut eſt filius ad patrem, sic eſt filia ad matrem: & ut eſt in temporibus meridies ad diem, sic media nox ad noctem. Hoc poetæ genere in similitudinibus utuntur. multum hoc acutiſſime geometræ. hoc in oratione diligentius, quam alii ab Ariſtarcho grammatici: ut cum dicunt proportione similia eſſe, amorem amori, dolorem dolori. Cum item diſſimile eſſe videant amorem dolori, quod eſt alio casu, item dolorem dolori. sed dicunt, quod a similibus nonnunquam rationes habent implicatas duas, ut sit una directa, altera tranſverſa. Quod dico, apertius sic fiet. Eſto, sic expoſitos eſſe numeros, ut in primo verſu sit unum, duo, quattuor: in secundo, decem, viginti, quadraginta: in tertio, centum, ducenta, quadringenta. In hac formula numerorum duo inerunt,

quos dixi λόγους, qui diverſas faciunt analogias: unus, duplex, qui eſt in obliqueis verſibus, quod eſt unus ad duo, ſic duo ad quattuor: alter, decemplex, in directeis ordinibus: quod eſt unus ad decem, ſic decem ad centum. Similiter in verborum declinationibus eſt bivium, quod ab recto caſu in recto: ita ut formulam ſimiliter efficiant: quod ſit primo verſu hic albus, huic albo, hujus albi. ſecundo, hæc alba, huic albæ, hujus albæ. tertio, hoc album, huic albo, hujus albi. Itaque fiunt per obliquas declinationes ex heis analogiæ hoc genus.

Deſunt quædam.

albius, atrius; albio, atrio: per directas declinationes, albius, atrius; albia, atria: quæ ſcilicet erit particula ex illa ducenaria, tria, quæ ſcilicet centenaria formula analogiarum, de qua ſupra dixi. Analogia quæ dicitur, ejus genera ſunt duo. Unum dijunctum ſic eſt, ut unum ad duo, ſic decem ad viginti: alterum conjunctum, ſicut eſt unum ad duo, ſic duo ad quattuor: in hoc quod duo bis dicuntur; & tum conferimus ad unum, & tum cum quattuor. Hoc quoque, natura dicitur quadruplex. ſic a ſeptem chordeis citharæ, tamen duo dicuntur habere tetrachorda; quod quemadmodum crepat prima ad quartam chordam, ſic quarta ad ſeptimam reſpondet: media eſt alterius prima, alterius extrema. Medici, in ægroteis ſeptimos dies qui obſervant quarto die, ideo diligentius ſigna morbi advertunt, quod quam rationem habuit primus dies ad quartum, eandem præ-

ſagit habiturum, qui eſt futurus ab eo quartus, & qui eſt ſeptimus a primo. Quadruplices dejunctæ ſunt in caſibus vocabulorum, ut rex regi: conjunctæ ſunt triplices in verborum tribus temporibus, ut legebam, lego, legam. quod quam rationem habet legebam ad lego, hanc habet lego ad legam. In hoc fere omnes homines peccant, quod perperam tribus temporibus hæc adjiciunt, cum proportione volunt pronuntiari. Nam cum ſint verba alia, infecta, ut lego & legis: alia perfecta, ut legi & legiſti: & debeant ſui cujuſque generis in conjungendo copulari: & cum recte ſit ideo lego ad legebam, non recte eſt lego ad legi: quod legi ſignificat quid perfectum, ut hoc, tutudi, pupugi; tundo, pungo: tundam, pungam. item necatus ſum, verberatus ſum: necabor, verberabor. Injuria reprehendunt, quod infecti inter ſe ſimilia ſunt, & perfecti inter ſe, ut tundebam, tundo, tundam: & tutuderam, tutudi, tutudero. Sic amabar, amor, amabor: & amatus eram, amatus ſum, amatus ero. Itaque reprehendunt, qui contra analogias dicunt, cur diſpariliter in tribus temporibus dicantur quædam verba natura, cum quadruplex ſit natura analogia. Id nonnunquam, ut dixi, pauciores videtur habere partes, ſic etiam alias plureis: ut cum eſt, quemadmodum ad tria unum & duo, ſic ad ſex duo & quattuor. quæ tamen quadripartita comprehenditur forma, quod bina ad ſingula conferuntur. quod in oratione quoque nunnunquam reperietur. Sicut Diomedes confertur Diomedibus, ſic dicitur ab Hercules Hercu-

libus. & ut hæ heic ab uno capite a recto casu in duos obliquos descendunt casus; sic contra multa a duobus capitibus recti casuum confluunt in obliquum unum. Nam ut ab heis recteis, hei Bœbiei, hæ Bœbiæ, fit heis Bœbieis: sic est ab heis, hei Cœliei, hæ Cœliæ, heis Cœlieis. A duobus similibus similiter declinantur: ut fit in heis, nemus, olus; nemora, olera. Alia a dissimilibus similiter declinantur: ut in articuleis ab hic, iste; hunc, istum. Analogia fundamenta habet aut a voluntate hominum, aut a natura verborum, aut re utraque. Voluntatem dico, impositionem vocabulorum; naturam, declinationem vocabulorum, quo decurritur sine doctrina. Qui impositionem sequetur, dicet: si simile in recto casu dolus & malus; fore in obliquo, dolo & malo: si naturam sequetur, si sit simile in obliqueis Marco, Quincto, fore ut sit Marcum, Quinctum. Qui utrumque sequetur, dicet, si sit similis transitus, ut est in servus serve, fore, ut sit item in cervus cerve. Commune omnium est, ut quattuor figuras vocis habeat proportione declinatus. Primum genus est ortum ab similitudine in recteis casibus: secundum ab similitudine, quæ est in obliqueis: tertium a similitudine, quæ est in transitibus de casu in casum. Primo genere ab imposito ad naturam proficiscuntur; in secundo, contra: in tertio, ab utroque. Quocirca etiam hoc tertium potest bifariam divisum esse: tertium & quartum dici, quod in eo ut prosas, & rosas potest dici. qui initia faciet analogiæ, impositiones ab heis obliquas figu-

ras declinare habebit: qui naturam, contra. qui ab utraque, reliquas declinationes ab hujusmodi transitibus. Impositio est in nostro dominatu; nos in natura. quemadmodum enim quisque vult, imponit nomen; at declinat, quemadmodum vult natura. Sed quoniam duobus modeis imponitur vocabulum, aut re singulari, aut multitudine: singulari, ut cicer; multitudinis, ut scalæ. Nec dubium est, quin ordo declinatuum, in quo res singulares declinantur, solæ ab singulari aliquo casu proficiscantur, ut cicer, ciceri, ciceris: item contra in eo ordine, qui multitudinis erit solum, quin a multitudinis aliquo casu ordiri conveniat, ut scalæ, scaleis, scalas. Aliud videndum est, cum duplex natura copulata, ac declinatuum bini fiant ordines, ut est Mars, Martis. Unde autem ratio analogiæ debuit ordiri, utrum ab singulari re in multitudinem, an contra? neque enim si natura ab uno ad duo pervenit, idcirco non potest amplius esse in docendo posterius, ut inde incipias, ut, quod sit prius, ostendas. Itaque illi, qui de omni natura disputant, atque ideo vocantur physici, tamen ex heis ab universa natura profecti, retroque esse principia mundi ostendunt. Oratio cum ex litereis constat, tamen eam grammatici litereis ostenderunt. quare in demonstrando, quoniam potius profecisse oportet ab eo, quod apertius est, quam ab eo, quod prius est, & potius ab incorrupto principio, ab natura rerum, quam ab libidine hominum. Et hæc tria, quæ sequenda magis sunt, minus sunt in singularibus, quam in multitudine, commodius

poteſt ordiri. quod in heis principiis minus orationis verbeis fingendeis, verborum forma, facilius ſingularia videri poſſe, quam ex ſingularibus multitudinis: hæc oſtendunt, trabes, trabs; duces, dux. Videmus enim ex heis verbeis, trabes, duces, de extrema ſyllaba E literam excluſam, & ideo in ſingulari factum eſſe trabs, dux. Contra ex ſingularibus non tam videmus quemadmodum facta ſint ex B & S trabs, ex C & S dux. Si ſimilitudinis rectus caſus forte figura corrupta erit, (id quod accidit raro) prius id corrigemus, quam inde ordiemur. obliqueis adſumere oportere figuras eas, quæ non erunt ambiguæ, ſive ſingulares, ſive multitudinis; ex quibus id cujuſmodi debent eſſe, perſpici poſſint. Nam nunquam alterum ex altero videtur: ut Chryſippus ſcribit, quemadmodum pater ex filio, & filius ex patre. neque minus in fornicibus propter ſiniſtram dextra ſtat, quam propter dextram ſiniſtra. Quapropter, ut ex recteis caſibus obliqui, & ex obliqueis recti, & ex ſingularibus multitudines, & ex multitudinis ſingulares nonnunquam recuperari poſſunt: principium id potiſſimum ſequi debemus, ut in eo fundamentum ſit in natura, quod in declinationibus ibi facilior ratio. Facile enim eſt animadvertere, peccatum magis cadere poſſe in impoſitiones eas, quæ fiunt plerumque in recteis caſibus ſingularibus: quod homines imperiti & diſperſi vocabula rebus imponunt, quocunque eos libido invitavit. natura incorrupta eſt plerumque ſuapte ſponte, niſi qui eam uſu inſcio depravavit. Quare ſi quis principium analogiæ po-

tius posuerit in naturalibus casibus, quam in impositiveis, non multa in consuetudine occurrent. & ut a natura libido humana corrigitur, non ab libidine natura; quod, qui impositionem sequi voluerint, facient contra. sin a singulari quis potius proficisci volet, id illum facere oportebit ab sexto casu, qui est proprius. Latineis enim non est casus alius. Heis literarum discriminibus facilius reliquorum varietatem discere poterit; quod ii habent exitus aut in A, ut ab hac terra: aut in E, ut ab hac lance: aut in I, ut ab hoc levi: aut in O, ut ab hoc cælo: aut in U, ut ab hoc versu. Igitur ad demonstrandas declinationes biceps una hæc. Sed quoniam ubi analogia, tria; unum, quod in rebus; alterum, quod in vocibus; tertium, quod in utroque: duo priora simplicia, tertium duplex: animadvertendum hæc quam inter se habeant rationem. Primum ea, quæ sunt discrimina in rebus, partim sunt, quæ ad orationem non attineant, partim quæ pertineant. Non pertinent, ut ea, quæ observant in ædificiis & signeis faciendeis ceterisque rebus artifices: e queis vocantur aliæ, harmonicæ; sic item aliæ nominibus aliis: sed nulla harum fit loquendo pars ad orationem. Quæ pertinent res, eæ sunt, quæ verbeis dicuntur proportione, neque a similitudine quoque vocum declinatus habent. ut Juppiter, Marspiter; Jovi, Marti. Hæc enim genera nominum & numero & casibus similia sunt, proportione. similia inter se, quod utraque nomina sunt, & virilia sunt, & singularia, & casu nominandei & dandei. Alterum

genus vocale eſt, in quo voces modo ſunt proportione ſimiles, non res: ut biga, bigæ, nuptia, nuptiæ. Neque enim in heis res ſingularis ſubeſt una, cum dicitur biga, quadriga. neque ab heis vocibus quæ declinata ſunt, multitudinis, ſignificant quidquam. Ideo quod omnia multitudinis, quæ declinantur ab uno: ut a merula, merulæ, ſunt ejuſmodi ut ſingulari ſubjungantur: ſic merulæ duæ, caculæ tres, faculæ quattuor. Quare cum idem non poſſit ſubjungi: cum dicimus unæ bigæ, quadrigæ duæ, nuptiæ tres; ſed pro eo unæ bigæ, binæ quadrigæ, trinæ nuptiæ; apparet non eſſe biga, & quadriga; & bigæ, & quadrigæ: ſed ut eſt hujus ordinis una, duæ, tres, principium una: ſic in hoc ordine altero, unæ, binæ, trinæ, principium eſt unæ. Tertium genus, eſt illud duplex, quod dixi, in quo & res & voces ſimiliter proportione dicuntur: ut bonus, malus: boni, mali. de quorum analogia & Ariſtophanes & alii ſcripſerunt. Etenim hæc denique perfecta, ut in oratione illæ duæ ſimplices inchoatæ analogiæ, de quibus tamen ſeparatim dicam, quod heis quoque utimur in loquendo. Sed prius de perfecta, in qua & res & voces quadam ſimilitudine continentur, cujus genera ſunt tria: unum vernaculum ac domi natum: alterum adventitium: tertium nothum, ex peregrino heic natum. Vernaculum eſt, ut ſutor, & piſtor; ſutori, & piſtori. Adventitium eſt, ut Hectores, Neſtores; Hectoras, Neſtoras. Tertium illud nothum, ut Achilles, & Peleus. de genere multi utuntur, non modo poetæ, ſed etiam

plerique. hæc primo omnes, qui ſoluta oratione loquuntur, dicebant, ut quæſtorem, prætorem, ſic Hectorem, Neſtorem. Itaque Ennius ait, Hectoris natum de muro Trojano jactari. Actius hoc in tragœdiis largius a priſca conſuetudine movere cœpit, & ad formas Græcas verborum magis revocare, & a quo Valerius ait, Actius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. quod adventitia pleraque habemus Græca, ſecutum, ut de notheis Græcanicos quoque nominatos plurimum haberemus. Itaque ut heic alia Græca, alia Græcanica, ſic analogiæ. e quibus quæ ſic nothæ fiunt declinationes, de heis aliæ ſunt priſcæ, ut Bacchides, Chryſides: aliæ minores, ut Chryſideis, Bacchideis: aliæ recentes, ut Chryſidas, Bacchidas: cum heis omnibus tribus utantur noſtri, maxime qui ſequuntur media in loquendo, offendunt minimum. quod prima parum ſimilia videntur eſſe Græceis, unde ſint translata: tertia parum ſimilia noſtreis. Omnis analogiæ fundamentum ſimilitudo quædam, ut dixi. quæ ſolet eſſe in rebus, in vocibus, & in utroque: in qua harum parte cumque ſit in ferendo, & cujuſmodi, videndum. Nam, ut dixi, neque rerum, neque vocis ſimilitudo ad has dupliceis, quæ in loquendo quærimus, ſeparatim ſatis eſt, quod utraque parte opus eſt ſimili, analogias verborum exprimendas: quas ad loquendum ut perducas, accedere debet uſus. Alia enim ratio qua facias veſtimentum; alia, quemadmodum utare veſtimento. Uſui ſpecies videntur eſſe tres: una, conſuetudinis veteris; altera, conſuetudinis hujus; tertia au-

tem, neutra. Vetera, ut caſcus furus, caſci furi. Hujus conſuetudinis, ut albus, caldus; albo, caldo. Neutra, ut ſcala, falera; ſcalam, faleram. Ad quas accedere poteſt quarta, quæ eſt mixta, ut amicitia, inimicitia; amicitiam, inimicitiam. Prima eſt, qua uſi antiqui, & nos reliquimus: ſecunda, qua nunc utimur: tertia, qua utuntur poetæ. Analogia non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quæ ad uſum loquendei. Nam prior definienda ſic, Analogia eſt verborum ſimilium declinatio ſimilis. Poſterior ſic, Analogia eſt verborum ſimilium declinatio ſimilis, non repugnante conſuetudine communi. Ad quam harum duarum ad extremum additum erit hoc, ex quadam parte; poetica analogia erit definita. harum primam ſequi debet populus, ſecundam omnes ſinguli e populo; tertiam poetæ. Hæc diligentius, quam apertius, dicta eſſe arbitror. ſed non obſcurius, quam de re ſimili definitiones grammaticorum ſunt, ut Aruſini, Ariſtodemi, Ariſtoclis, item aliorum. quorum obſcuritates eo minus reprehendendæ, quod pleræque definitiones re incognita propter ſummam brevitatem, non facile perſpiciuntur, niſi articulatim ſit explicata. Quare magis apparebit, ſi erit aperte de ſinguleis partibus: quid dicatur verbum, quid ſimilitudo verbi, quid declinatio, quid ſimilitudo declinationis, non repugnante conſuetudine communi, quid ex quadam parte. Verbum dico, orationis vocalis partem, quæ ſit indiviſa & minima, ſi declinationem naturalem habeat. Similem, verbum verbo, tum

quom & res, quam ſignificat, & vocem, qua ſignificatur, & in figura tranſitum declinationis parilem. Declinatio eſt, cum ex verbo in verbum, aut ex verbi diſcrimine, ut tranſeat mens, vocis commutatio fit aliqua. Similitudo declinationis, cum item ex aliqua figura in figuram tranſit, ut id transit, cum quo confertur. Adjectum eſt, non repugnante conſuetudine communi: quod quædam verba contra uſum veterem declinata patietur, ut paſſa Hortenſium dicere pro has cervices, cervix; quædam non, ut ſi dicas pro fauces, faux. Ubi additur, ex quadam parte, ſignificat non eſſe in conſuetudine in heis verbeis omneis parteis: ut declinatum amo, juvo; amor, juvor. Quid videretur analogia in oratione, & quas haberet ſpecies, & quæ de heis ſequenda viderentur, ut brevi potui, informavi. nunc in quibus non debeat eſſe, ac proinde ac debeat, ſoleat quæri, dicam. Ea fere ſunt quattuor genera: primum in id genus verbeis, quæ non declinantur, analogia non debet quæri, ut in heis, nequam, mox, vix. De heis magis in alio, quam in alio erratur verbo. dicunt enim non habere caſus mox & vix, nequam habere: quod dicamus, hic nequam, hujus nequam, huic nequam: cum intellegimus, aut hominis ejus, quem volumus oſtendere eſſe nequam, dicimus caſus, & ei præponimus, non, cujus putamus nequitiam. Quod vocabulum factum, ut ex non & volo, Nolo; ſic ex ne & quidquam, item media extrita ſyllaba, coactum eſt Nequam. Itaque ut eum, quem putamus eſſe non hili, dicimus Nihili;

ſic in quo putamus eſſe nequidquam, dicimus nequam. Secundo, ſi unum ſolum habent caſum in voce, quod non declinentur, ut literæ omnes. Tertio, ſi ſingularis eſt vocabuli ſeries, neque habet cum qua comparari poſſit, ut eſſe putant caput, capitis, capite. Quartum, ſi ea vocabula, quæ conferuntur inter ſe, rationem habent, quam oportet, ut ſocer, ſocrus; ſocerum, ſocrum. Contra in quibus debeat quæri analogia, fere totidem gradus debent eſſe conjuncti. Primum, ut ſint res: ſecundum, ut earum ſit uſus: tertium, uti hæ res vocabula habeant: quartum, ut habeant declinatus naturaleis. De primo gradu, quod natura ſubeſt & multitudinis & ſingularis, dicimus hei aſſes, hoſce aſſes, hic as, hunc aſſem: contra quod in numereis finiteis multitudinis natura ſingularis non eſt, dicimus hei duo, & hei tres; heis duobus, heis tribus. Secundo gradu ſi eſt natura, neque eſt uſus, id genus ut ſit diſcriminandum, ut ſit in faba, & id genus. Non enim opus fuit, quæ ut in ſerveis, item ex parte & univerſa nominamus.

Deſunt quædam.

[illegible]

M. TERENTII VARRONIS

FRAGMENTA.

M. TERENTII VARRONIS FRAGMENTA.

DE LINGUA LATINA

LIBER I

AD P. SEPTIMIUM.

AGGULUS, aggens, agguilla, aggerunt. in ejuſmodi Græci & Attius noſter binam G ſcribunt, alii N & G. quod in hoc veritatem facile videre non eſt. Similiter agceps & agcora. *Priſc. libro primo.*

*

Nec R, nec Q, nec H, in numero literarum. *Ibidem.*

*

In quo L. Ælius noſter, literis ornatiſſimus, memoria noſtra erravit aliquotiens. nam aliquot verborum antiquorum Græcorum, perinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſas falſas. Non enim Leporem dicimus, ut ait, quod eſt Levipes, ſed quod eſt vocabulum antiquum Græcum. Multa enim vetera illorum ignorantur, quod pro iis, aliis nunc vo-

cabulis utantur : & illum esse, plerique ignorent Græcum. quem nunc nommant ἕλληνα, puteum esse, quod vocant φρέαρ: Leporem, quod λαγωὸν dicunt. In quo non modo L. Ælii ingenium non reprehendo, sed industriam laudo. Successum enim fortuna, experientiam laus sequitur. *A. Gellius, lib. I, cap. 18.*

(*Hoc fragmentum huc reposui, fide Ausonii Popmæ. A. Gellius hæc citat ex libro XIV humanarum. Lud. Carrio in notis ad A. Gellium, notavit, in libri hujus nomenclatura, & item numero, vehementer inter se dissentire membranas, & libros vulgatos: antiquissimas editiones habere*, in primo de ratione vocabulorum libro; *alias*, in quarto decimo, de ratione vocabulorum libro. *Sequatur quisque sententiam, quæ magis ei arridet, neque enim in hoc vertuntur opes Latii.*)

*

Furem ex eo dictum, quod veteres Romani Furvum atrum appellaverint, & Fures per noctem, quæ atra sit, facilius furentur. *Ibidem.*

DE LINGUA LATINA, LIB. II.

AD P. SEPTIMIUM.

*

*

*

DE LINGUA LATINA LIB. III.

AD P. SEPTIMIUM.

*

Fenerator a fenore est cognominatus. Fenus autem dictum a fetu, & quasi a fetura quadam pecuniæ pa-

rientis, atque increſcentis. Et idcirco & M. Cato, & ceteri ætatis ejus, *Feneratorem* ſine A litera pronuntiarunt: ſicuti Fetus ipſe, & Fecunditas appellata. *A. Gellius libro XVI, cap. 12.*

*

Sicut vocetur panthera & Lea. *Junius Philargyr. ad Eclogam II Virgil. Leam Varro ad Ciceronem dicit libro III.*

M. TERENTII VARRONIS

DE LINGUA LATINA

LIB. X.

*

LIB. XI.

Rure ordinatum arbuſtum. *Soſip. lib. I.*

Horum poematorum, his poematis. *Ibidem.*

Catinuli. *Idem. Catinuli dixit, non catilli, Varro ad Ciceronem XI. GIT per omnes caſus ire debere. Vulgo autem hoc Gicti dicunt.*

LIB. XII.

*

LIB. XIII.

Olivo & Oſſo.

Palpetras.

Soſip. Chariſ. lib. I. Palpetras per T, Varro ad Ciceronem XIII dixit, ſed Fabianus de animalibus primo palpebras *per B. Alii dicunt*, palpetras *genas*, palpebras *autem ipſos pilos.*

LIB. XIV.

*

LIB. XV.

*

LIB. XVI.

*

LIB. XVII.

*

LIB. XVIII.

*

Quibus nos in hoc libro, proinde ut nihil interſit, utemur indiſcriminatim. *Nonius Indiſcriminatim.*

LIB. XIX.

*

LIB. XX.

*

LIB. XXI.

*

LIB. XXII.

*

Rure veni. *Soſip. Chariſ. lib. I.*

LIB. XXIII.

Ingluvies, ſunt tori circa gulam, qui propter pinguitudinem fiunt, & interjectas habent rugas. *Junius Philarg. in III Georg. Virgilii.*

LIB. XXIV.

Proloquium eſt ſententia, in qua nihil deſideratur. *A. Gellius lib. XVI, cap. 8.*

Cum inde haurierint. *Priſc. lib. X. Haurivi, vel haurii.*

INCERTI LIBRI.

*

Talia ex Græco ſumta, ex maſculino in femininum tranſeunt, & A litera finiuntur, ὁ κοχλίας, hæc cochlea, ὁ χάρτης, hæc charta, ὁ γαυσάπης, hæc Gauſapa, ὁ ἕρμας, Herma. *Priſc. lib. VII, & Soſip. Chariſ. lib. I.*

*

Junior & ſenior, comparativi ſunt per deminutionem, Senior, non ſatis ſenex, Junior, non ſatis juvenis, vel intra juvenem. ſicut pauperior intra pauperem. *Servius in librum V & VI Æneid.*

Id præſente Legatis omnibus exercitus pronuntiat. *Donatus in Eunuch. Terentii. Actus IV, Scena 3.*

Caput, quod ab eo capiant initium ſenſus, ac nervi. *Lactant. in lib. de opificio Dei.*

Fixum. *Diomed. lib. I.*

Ala, culmus fabæ. *Servius.*

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. MARCELLUM

LIB. I.

*

Cretenſes Ennius dixit. *Soſip. lib. I.*

LIB. II.

Semel minuſne, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipſi Regi noluit concedere. *Gell. lib. XII, c. 6.*

M. Varro Æditimum dici oportere cenſet magis quam ædituum: quod alterum ſit recenti novitate

factum, alterum antiqua origine incorruptum. *A. Gell. lib. XII, cap. 10.*

LIB. III.

*

Utrumque mulieres, & epicrocum viri quoque habitarunt. *Nonius. Habitare, pro uti.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

Later, lutum, agmenta. *Charis. lib. I.*

Domi suæ. *Idem ibidem. Domi est Genitivus.*

Mutuo. *Idem libro II.*

ΗΘΗ nulli alii servare convenit, quam Titinnio & Terentio: Πάθη vero Trabea, & Attilius & Cæcilius facile moverint. *Ibidem.*

Præcise generat animi passionem, quod novi generis cum non sit interjectio, sed ademtio tantum, interjecti animi causa vocitamus: *Tu me homo adigis ad insaniam:* irascentis & hæc oratio est, licet nulla interjecta sit particula. *Ibidem.*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Attium: *An hæc jam obliti sunt Phruges? Ruffinus de metris Terentii, Plauti, & aliorum.*

Aut in extremum senarium totidem semipedibus

adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.* Ibidem.

INCERTI LIBRI.

*

Quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas frequentius ad extremum versum senarium, & similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: *Amicus summus meus & popularis Geta.* Ibidem.

In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt, manent: reliquæ mutant. *A. Gellius lib. XVIII, cap. 12. Mutant, pro mutantur.*

Varro ait, quatuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, & se ipsum in templo Marsyæ vidisse tibias quatuor foraminum. *Acron in Artem poeticam Horatii.*

Ex gallo gallinaceo castrato, fit capus. *Sosip. lib. I. Capo dicitur nunc, sed Varro Capus.*

M. TERENTII VARRONIS DE UTILITATE SERMONIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

Ænigmatis. *Sosip. Charis. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DE SIMILITUDINE VERBORUM

LIB. I.

*

LIB. II.

Pax ſingulariter dicitur. *Soſip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DE POEMATIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Nunc vides in conviviis, ita poni ſal & mel. *Soſip. Chariſ. lib. I.*

Lentim. *Ibidem.*

LIB. III.

Poematorum, poematis. *Ibidem.*

INCERTI LIBRI.

Olympiam non acceſſit. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS

DE COMPOSITIONE SATYRARUM

LIBER.

Parrectatæ adſunt, mulcetque mulier Venus caput. *Nonius Porrectati.* Alii: *Paractatæ adſunt, mulcerque mulier, Venus caput.*

M. TERENTII VARRONIS
DE PROPRIETATE SCRIPTORUM
LIBER.

Quin æs, ſtannum, aut quid aliud ejus generis fervefactum, colliquiſſet, & in forma eſſet infuſum. *Nonius*, *Liquidum*, *molle & fluxum*.

M. TERENTII VARRONIS
DE COMŒDIIS PLAUTINIS
LIBER.

Nam nec Gemini, nec Lenones, nec Condalium, nec Anus, nec Bis compreſſa, nec Bœotia Plauti unquam fuit: neque adeo ἄγροικος, neque Commorientes, ſed M. Attilii. *A. Gellius lib. III, cap. 3.*

Plautium fuiſſe quempiam poetam comœdiarum, cujus quoniam fabulæ Plautii inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas: cum eſſent non a Plauto Plautinæ, ſed a Plautio Plautianæ. *Ibidem.*

Saturionem & Aditum, & tertiam quandam in piſtrino Plautus ſcripſit, cum pecunia omni, quam in operis artificium ſenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediſſet, & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS
PLAUTIN. QUÆSTIONUM
LIB. I.

*

LIB. II.

*

Amussis, est & æquamentum lævigatum: & est apud fabros tabula quædam, qua utuntur ad saxa coæquanda. *Nonius, Examussim dicitur examinate ad regulam.*

Satyra est ex uva passa & polenta, ex nucleis pineis mulso consparsis. *Diomed. lib. III. Satyra, a quodam genere farciminis, quod multis rebus fertum Satyram Varro vocitat.*

M. TERENTII VARRONIS EPISTOLICARUM QUÆSTIONUM

LIB. I.

*

Corona navali. *Sosip. lib. I.*

Maximam multam dixerunt trium millium, & viginti assium: quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus, quemquam multari: æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus. *Festus, Multa. Osce pœna est pecuniaria.*

Pignoriscapio ob æs militare, quod æs a Tribuno ærario miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit, per quod dilucet, hanc capionem posse dici, quasi hanc captionem, & in usu, & in pignore. *A. Gell. lib. VII, cap. 10.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

Capillus pluraliter dici non debet. *Sosip. lib. I.*

LIB. IV.

*

More majorum Senatus haberi ſolebat, per Dictatorem, Conſules, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum urbis: neque alii præter hos jus fuit facere Senatuſconſultum, quotieſque uſu veniebat, ut omnes iſti Magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſupra ordine ſcripti erant, qui eorum prior aliis erat, ei potiſſimum Senatus conſulendi jus fuit. Extraordinario jure Tribuni quoque militares, qui pro Conſulibus erant, item Decemviri, quibus imperium Conſulare tum erat, item Treſviri Reipublicæ conſtituendæ cauſa creati, jus conſulendi Senatum habuerunt.

Intercedendi ne Senatuſconſultum fieret, jus fuit iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Senatuſconſultum facere volebant, majoreſque erant.

Niſi in loco per Auguſtum conſtituto, quod templum appellaretur, Senatuſconſultum factum eſſet, juſtum id non fuit. propterea & in Curia Hoſtilia, & in Pompeja, & poſt in Julia, cum profana ea loca eſſent, templa ſunt per Auguſtum conſtituta, ut in iis Senatuſconſulta, more majorum juſta fieri poſſent.

Non omnes ædes ſacræ templa ſunt, ac ne ædes quidem Veſtæ templum eſt.

Senatuſconſultum ante exortum, aut poſt occaſum ſolem factum, ratum non fuit. Opus Cenſorium fecit exiſtimatos, per quos eo tempore Senatuſconſultum factum eſſet.

Immolare hoſtiam prius, auſpicarique debet, qui

Senatum habiturus eſt. De rebus divinis prius, quam humanis, ad Senatum referendum eſt. Referri oportet, aut infinite de Republica, aut de ſingulis rebus finite. Senatuſconſultum fit duobus modis, aut per diſceſſionem, ſi conſentiatur; aut, ſi res dubia ſit, per ſingulorum ſententias exquiſitas. Singuli autem debent conſuli gradatim, incipique a Conſulari gradu, ex quo gradu ſemper quidem antea primus rogari ſolitus eſt, qui Princeps in Senatum lectus eſſet. Hoc autem tempore novus mos inſtitutus eſt per ambitionem, gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare velit, qui habeat Senatum, dum is tamen ex gradu Conſulari ſit. *A. Gellius lib. XIV, c. 7, citat hæc ex literis, quas Varro ad Oppianum dederat, quæ erant in libro Epiſtolicarum quæſtionum quarto.*

Jus eſt præfecto Senatus habendi, deque hac re aſſenſus eſt Capito Tuberoni, contra ſententiam Mutii: namque & Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non eſſent ante Aſinium plebiſcitum. *Idem, libri ejuſdem cap. 8.*

L I B. V.

*

A Deorum ſede cum in Meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes. eo factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur. *Feſtus, ſcribens idem fere ſentire Sinnium Capitonem, & Cincium, quod ſentiat Varro.*

L I B. V I.

*

Eclogas ex Annale descriptas. *Sosip. lib. I.*

Quo loco per O, & quo loci per I, potest dici, sed ita, ut si pluribus locum quæras, aut in Italia quid puta sit, an in Græcia, Quo loco dicas? respondetur, hoc loco. Si per I, sicut quo sis. Sed homo in multitudine dicitur. Cum autem, quid hoc est hominis? quæritur, de alicujus quæro hominis qualitate. *Sosip. lib. I citat ex IV libro epist. quæst.*

Ad mortem perduceres non sii. *Diomed. lib. I.*

INCERTI LIBRI.

*

Demolivit tectum. *Diomed. lib. I. Demolio.*

M. TERENTII VARRONIS EPISTOLARUM

LIB. I.

*

In votum amicorum domus fumat, hilaresco. *Nonius, Hilarisco.*

LIB. II.

*

Tuum opus nemo imitare potest. *Non. Imitat.*

LIB. III.

*

Capillum pluraliter dici non debere. *Sosip. lib. I. Alii referunt ad lib. III epist. quæstionum.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

N 3

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

Quintum tricenſimum annum dici ſine & conjunctione, & ſimilia, nec interponendam conjunctionem in re ipſa conhærentem, ut ſi dixero, Ad quintum & tricenſimum prædium habeo, jam duo ſignificabunt, alterum ad quintum, alterum ad tricenſimum. *Soſip. ibidem.*

LIB. VIII.

*

Margaritum, margarita plura. *Soſip. ibidem.*

INCERTI LIBRI.

*

Si te in libertatem vindicare non potes, feres fortunam. *Nonius, Vindicare.*

Si veniſſes Capuam; quod & pueros minutos vides libenter, & majores animadvertere non vis. *Nonius in Minutum.*

EPISTOLA AD JULIUM CÆSAREM.

*

Interea prope ad occidentem ſolem horreſcit mare. *Nonius, Horrendum.*

Convocat Ptolomæum cinædon, Laconicon Petauriſten, Diona αὐλοποιόν. *Nonius, Petauriſta.*

EPISTOLA JULII CÆSARIS.

Cum ſimul ac Romam veniſſem, mihi attigit au-

res nuntius. *Ex templo eas:* in curriculum contuli propere pedes. *Nonius, Curriculus.*

EPISTOLA AD FABIUM.

*

Quod facie Saturnorum ſimiles ſunt, iidemque imberbi. *Nonius, Imberbi. Male Riccob. Nonius in verbi, pro in verbis. Error ex vicinitate literarum earumque inepta diviſione.*

EPISTOLA AD FUFLUM.

*

Si hodie Nenum venis, cras quidem ſi veneris meridie, natali Fortis Fortunæ, Quintiporis Clodiani Forias ac poemata gargaridans dices: *O fors fortuna, quantis commoditatibus hunc diem. Nonius, Gargaridiare.* Idem. *Nenon, pro non.* Idem, *fors fortuna.*

EPISTOLA AD MARULLIUM.

*

Utrum meridie, an veſperi lubentius ad Obbam accedas, locus, actus, adventus declarabit. *Nonius, obba.*

EPISTOLA AD NERONEM.

*

Nam ſi tuam rhedam non habuiſſem, habuiſſem varices. *Nonius in Rheda & varices.*

Ad lare familiare. *Soſip. Char. lib. I.*

EPISTOLA AD SERVIUM SULPITIUM.

*

In memoria ſibi eſſe, quod Quintus Catulus,

curator reſtituendi Capitolii, dixiſſet, voluiſſe ſe arcam Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conſcenderetur, ſuggeſtuſque pro faſtigii magnitudine altior fieret, ſed facere id non quiſſe, quoniam faviſſæ impediſſent. id eſſe cellas quaſdam & ciſternas, quæ in arca ſub terra eſſent, ubi reponi ſolerent ſigna vetera, quæ ex eo templo collapſa eſſent, & alia quædam religioſe donariis conſecrata. *Gell. lib. II, cap. 10.*

Negat quidem ſe in literis inveniſſe, cur faviſſæ dictæ ſint: ſed Q. Valerium Soranum ſolitum dicere ait, quos Theſauros græco nomine appellaremus, priſcos Latinos flaviſſas dixiſſe: quod in eo non rude æs argentumque, ſed flata ſignataque pecunia conderetur. Conjectare igitur ſe, detractam eſſe ex eo verbo ſecundam literam, & faviſſas eſſe dictas, cellas quaſdam & ſpecus, quibus æditui Capitolini uterentur ad cuſtodiendas res veteres religioſas. *A. Gell. ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS
DE GRADIBUS
LIBRI.

*

Germanus de eadem genetrice natus eſt, non ut multi dicunt, de eodem germine, qui tantum fratres vocantur. *Servius in V Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS
ΠΕΡΙ ΧΑΡΑΚΤΗΡΩΝ
LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

Propius proxime. *Sosip. Charis. lib. II.*

M. TERENTII VARRONIS

COMPLEXIONUM

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

LIB. VI.

*

Ad mortem non sivi me producere. *Diomed. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DISCIPLINARUM

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

Aliud est *quarto* Prætorem fieri, & *quartum*; quod quarto locum adsignificat, ac tres ante facto ; *quartum*, tempus adsignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius recte hoc scripsit, *Quintus pater, quartum fit Consul:* & Pompejus timide, quod in Theatro, ne adscriberet Consul tertium aut tertio, extremas literas non conscripsit. *Gellius lib. X, cap. 1.*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

LIB. VIII.

*

Manducata portulaca sitim tollit. *Non. Portulaca.*

Vesperi non videre, quos appellant lusciosos. *Nonius, Lusciosi.*

INCERTI LIBRI.

Observasse se in versu Hexametro, quod omni modo quintus semipes versum finiret, & quod priores quinque semipedes æque magnam vim haberent in efficiendo versum, atque alii posteriores septem: idque ipsum ratione quadam Geometrica fieri dicit. *Gellius lib. XVIII, cap. 15.*

Dialectica & Rhetorica est, quod in manu hominis pugnus adstrictus, & palma distensa: illa, verba contrahens; ista distendens. *Isidor. lib. II Originum.*

M. TERENTII VARRONIS

DE GRAMMATICA LIBER.

*

Ars Grammatica, ut Varroni placet, ſcientia eſt eorum, quæ a poetis, hiſtoricisque, oratoribuſque dicuntur, ex parte majore. Ejus præcipua officia ſunt quatuor, ut ipſi placet, ſcribere, legere, intelligere, probare. *Victorinus de Orthogr.*

Eam Varro literationem vocat. *Iſidorus lib. I.*

Literarum partim ſunt & dicuntur, ut A & B. partim dicuntur & non ſunt, ut H & X. partim ſunt, neque dicuntur, ut Φ. Ψ. *Caſſiod. in Orthographia.*

M. TERENTII VARRONIS

DE ASTROLOGIA LIBER.

*

Stellam a ſtando dici. *Caſſiod. in compendio Aſtronomiæ.*

M. TERENTII VARRONIS

DE ARITHMETICA LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS

DE GEOMETRIA. LIBER

AD M. CÆLIUM RUFUM:

*

Ager Arcifinius, ſicut ait Varro, ab arcendis hoſtibus eſt appellatus: qui poſtea interventu li-

tium per ea loca, quibus finit, terminos accipere cœpit. *Jul. Frontinus in libro de limitibus agrorum.*

Optice pars Geometriæ hoc efficit, ut in ſpeculo caput in imo compareat, pedes vero ſurrecti.

Geometriæ pars altera, Canonica Græcis nuncupata, quæ vocum longitudines & altitudines menſu certo diſtinguit.

M. TERENTII VARRONIS
DE MUSICA
LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS
ANTIQUITATUM RERUM HUMANARUM
LIB. I.

*

Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini eſt paulum modo humaniori ignotus. *A. Gell. lib. XIII, cap. 15.*

Ut habent parii, qui vocantur Ophiogenes, & in Africa Pſylli: quorum Ophiogenes, cum arbitrantur ſuppoſitum eſſe aliquem in ſtirpe, ei admovent, ut pungat colubram: cum pupugerit, ſi de genere ſit, vivere; ſi non ſit, mori. *Priſcianus lib. X, in Pungo.*

Admota aſpis cum pupugerit, ſi non occidat, ſciat ex Pſyllorum ſtirpe eſſe. *Idem, ibidem.*

Etiam nunc eſſe paucos ibi, quorum ſalivæ contra ictus ſerpentum medeantur. *Plin. lib. VII, cap. 2.*

Murrata potione uſos antiquos indicio eſt, quod

etiam nunc Ædiles per supplicationes Diis addunt ad pulvinaria, & quod XII Tabulis cavetur, ne mortuo indatur. *Festus.*

LIB. II.

Literisque ac laudibus æternare. *Non. Æternare.*

Dardanum Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Phrygia in Italiam detulisse. *Macrob. lib. III, cap. 4.*

Constat quidem nunc lauro sacrificantes apud aram maximam coronari, sed multo post Romam conditam hanc consuetudinem sumsisse exordium, postquam in Aventino lauretum cœpit virere. *Macrob. lib. III, cap. 12.*

LIB. III.

Postquam adoleverit hæc juventus. *Prisc. lib. IX.*

Gentis Salentinæ nomen tribus e locis fertur coaluisse, e Creta, Illyrico, Italia. Idomeneus e Creta, oppido Lycto, pulsus per seditionem, bello Magnensium, cum grandi manu, ad Regem Clinicum venit in Illyricum: ab eo item accepta manu cum Locrensibus plerisque profugis in mari conjunctus amicitiaque per similem causam sociatis, Locros appulit, vacuata eo metu urbe, ibique possedit aliquot oppida & condidit: in quis Uria, & Castrum Minervæ nobilissimum. In tres partes divisa copia in populos XII, Salentini dicti, quod in Salo amicitiam fecerint. *Val. Prob. ad Eclog VI Virgilii.*

Postea cum his unam Rempublicam conjuncti & congerminati tenuere. *Non. Congermanescere.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

Jano duodecim aras pro totidem menſibus dedicatas. *Macrob. lib. I Saturn. cap. 9.*

Libros duodecim fuiſſe Numæ regis, quos invenit Cn. Terentius ſcriba. *Plinius lib. XIII, cap. 13.*

LIB. VI.

*

Prærogativæ ſententiæ dicuntur, quæ rus . . . . Romani, qui ignonarent petitores, facilius eos animadvertere poſſent. *Feſtus, Prærogativæ.*

Pro cenſu claſſis juniorum, Servius Tullius cum dixit in deſcriptione centuriarum, accipi debet in cenſu. *Idem.*

LIB. VII.

*

Suffragat . . . . majores hi qui vulgo in uſu . . . . us apparent juncta ſuffrag . . . . quem quiſque fieri vellet notabat . . . . to ſcriptis candidatorum hominu . . . . *Feſtus, Suffragatores.*

LIB. VIII.

*

LIB. IX.

*

LIB. X.

*

Juxta Rhegium fluvii ſunt continui ſeptem, La-

topodonar, Mygodes, Eugyon, Stacteres, Polme, Meleiſſa, Argeades. In his a matris nece purgatus dicitur Oreſtes, ibique diu fuiſſe enſem, & ab eo ædificatum Apollinis templum; cujus loco Rheginos, cum Delphos proficiſcerentur, re divina facta, lauream decerpere ſolitos, quam ferrent ſecum. *Val. Probus in Bucol. Virgil.*

LIB. XI.

*

Ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Caſinas oleam, Tuſculanus ficum, mel Tarentinus, piſcem Tiberis. *Macrob. lib. III Saturnal. cap. 16.*

LIB. XII.

*

Ab Erythræo mari orti. *Priſ. lib. VII. Soſip. lib. I.*

LIB. XIII.

Homines, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his XXIV horis nati ſunt, uno die nati dicuntur. *Gell. lib. III, cap. 2. Macrob. lib. I, cap. 3.*

Athenienſes autem aliter obſervare, eoſque a ſole occaſo ad ſolem iterum occidentem, omne id medium tempus unum diem eſſe dicere. Babylonios porro aliter, a ſole enim exorto, ad exortum ejuſdem incipientem, totum id ſpatium, unius diei nomine appellare. Multos vero in terra Umbria unum & eundem diem eſſe dicere, a meridie ad inſequentem meridiem; quod quidem nimis abſurdum eſt. Nam qui Kalendarum hora VI natus eſt apud Umbros, dies ejus natalis videri debebit &

Kalendarum dimidiatum, & qui eſt poſt Kalendarum dies, ante horam ejuſdem ſextam. *Ibidem.*

Tanaidis. *Soſip. lib. I.*

LECTORI S.

Sex libri ſequentes. fuerunt de divinis temporibus, teſte Riccobono. Quare fortaſſis unus de ipſis erat liber, qui citatur, de diebus. *Adde, quod Macrobius lib. I, cap. 3 quædam ex libro hoc XIII laudans, dicat, hæc eſſe in libro* de diebus.

LIB. XIV.

*

Altera ira, altera vulneribus fatiſcuntur. *Nonius, Fatiſcuntur.*

Petoritum verbum Gallicum, & lanceam non Latinum, ſed Hiſpanicum verbum eſſe. *Gell. lib. XV, cap. 30.*

LIB. XV.

Fros, fœnum, meſſis. *Soſip. lib. I. Fros ſine N.*

Mortuos fallunt. *Diomed. lib. I.*

LIB. XVI.

*

Mortuus eſt anno duodeviceſimo, Rex fuit anno viceſimo primo. *Nonius, Duodeviceſimo.*

LIB. XVII.

*

LIB. XVIII.

Ad Romuli initium plus mille & centum annorum eſt. *A. Gell. lib. I, cap. 16.*

Fuiſſe Vettium Romæ in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis docto in diſceptando parem, eum ſe audiſſe dicentem. Si ita eſſet, ut

traderent Historici de Romuli urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturiis: quoniam centum & viginti annos incolumis præteriisset populus Romanus, ad mille & ducentos & perventurum. *Censorin. in libro de Die natali. cap. 17.*

Balteum Tuscum esse vocabulum. *Sosip. lib. I.*

LIB. XIX.

*

Indutiæ sunt pax castrensis, paucorum dierum. *Gell. lib. I, cap. 25.*

Indutiæ sunt belli feriæ. *Ibidem.*

Multæ vocabulum non Latinum, sed Sabinum esse: idque ad suam memoriam mansisse, in lingua Samnitum, qui sunt a Sabinis orti. *Gell. lib. II, cap. 1.*

LIB. XX.

*

Et ea, quæ ad mortales pertinent, quadrifariam dissertierim, in homines, in loca, in tempora, in res. *Nonius, Quadrifariam.*

Neque idonei cives aliquid habent antiquius salute communi. *Nonius, Antiquius.*

Omnes Tarquinios ejicerent, ne quam reditionis, per gentilitatem, spem haberent. *Nonius, Reditio.*

Decemviri cum fuissent arbitrati, binos nundinum divisum habuisse. *Non. Nundinus, mascul. gen.*

Præterquam duobus in primis est scriptum, spectare velit potius quam voluntatem, debeam non datum dicere magistratum. *Nonius, Balbe, obscure.*

Eo die cis Tiberim redeundum est, quod de cælo auspicari jus nemini sit, præter Magistratum.

Non. in Cis. ſed ex lib. XX Rhetoricor. forte vitium eſt in textu.

Cum venerint Cenſores, inter ſe ſortiant. *Non. in Sortirent.*

Quod verbum Cenſeo, & Arbitror, idem poterat ac valebat. *Non. in Cenſere, ſed ex lib. XX rei ruſticæ, manifeſto errore.*

Ut Conſules ac Prætores qui ſequuntur in caſtra, Accenſi dicti: quod ad res neceſſarias ſæpe acciantur, velut accenſiti. *Non. in Accenſi, laudans ſed perperam lib. XX Rhetor.*

Qui in ordine erat, is æs militare merebat. *Non. Meret.*

In conviviis qui ſunt inſtituti, potandi Modimperatores, Magiſtri. *Nonius, Modiperatores.*

Secundum leges habuiſſet patritas. *Non. Patritum, ſed ex lib. 20 de Rep. an recte, aliorum eſto arbitrium.*

Ne quis lectorem ſpurcum, hominem liberum præhendere, juſſiſſe velit. *Nonius, in Spurcum.*

LIB. XXI.

*

In Magiſtratu habent alii vocationem, alii præhenſionem, alii neutrum. Vocationem, ut Conſules & ceteri; qui habent imperium: Præhenſionem, ut Tribuni plebis & alii, qui habent Viatorem: neque vocationem, neque præhenſionem, ut Quæſtores & ceteri, qui neque Lictorem habent, neque viatorem. Qui vocationem habent, iidem præhendere, tenere, abducere poſſunt, & hæc omnia, ſive adſunt quos vocant, ſive acciri juſſerunt. Tribuni plebis, vocationem habent nullam, neque

minus multi imperiti, perinde atque haberent, ea ſunt uſi. Nam quidam non modo privatum, ſed etiam Conſulem in roſtra vocari juſſerunt. Ego Triumvir vocatus a Porcio Trib. plebis non ivi, auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item Tribunus cum eſſem, vocari neminem juſſi, neque vocatum a collega, parere invitum. *A. Gell. lib. XIII, cap. 12.*

Qui poteſtatem neque vocationis populi viritim habent, neque præhenſionis: eos magiſtratus a privato in jus quoque vocari eſt poteſtas. M. Lævinus Ædilis Curulis a privato ad prætorem in jus eſt eductus, nunc ſtipati ſervis publicis, non modo præhendi non poſſunt, ſed etiam ultro ſubmovent populum. *Idem libro eodem cap. 13.*

Deligata ad patibulos, deligantur & circumferuntur, cruci defiguntur. *Nonius, Patibulum, ſed ex libro XXI rerum Romanarum.*

LIB. XXII.

*

LIB. XXIII.

*

LIB. XXIV.

*

LIB. XXV.

*

Ego σπάρτα apud Homerum, non plus ſpartum ſignificare puto, quam Spartos, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia ſparti copia modo cœpit eſſe ex Hiſpania. neque ea ipſa facultate uſi Liburni, ſed plerumque naves loris ſuebant. Græci

magis cannabo & ſtuppa, ceteriſque ſativis rebus, a quibus ſparta appellabant. *A. Gellius, lib. XVII, cap. 3. in verſum illum Poetarum principis:* Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

EX LIBRO RERUM HUMANARUM, QUI ERAT DE BELLO ET PACE.

Vide fragmenta duo priora libri XIX ſupra poſita. A. Gell. lib. I, cap. 25 oſtendit, Lemma hujus libri fuiſſe de bello & pace.

EX LIBRO RERUM HUMANARUM DE DIEBUS.

Homines, qui media nocte &c. Athenienſes olim aliter. *Hæc fragmenta vide ſupra, lib. XIII. vides ergo, ſingulis libris ſuum fuiſſe titulum & argumentum.*

EX INCERTO RERUM HUMAN. LIBRO.

Italiam de Græco vocabulo appellatam, quoniam boves Græca veteri lingua Ἰταλοὶ vocitati ſunt, quorum in Italia magna copia fuerit, buceraque in ea terra gigni, paſcique ſolita ſint compluria. *Gell. lib. II, cap. 1.*

M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unam ovem multam dico. *Idem ibidem, oves genere virili.*

Ut etiam putantibus, qui oves duos, non duas dicunt, Homerum ſecutos, qui ait: μῆλ' ὄϊ ἔςε. *Nonius Oves maſcul. genere ex Varrone lib. III. (alii 23, alii 27) rerum human. ſed teſte Auguſt. Varro tantum 25 libros ſcripſit rerum human.*

Nilum inteſtinum eſt tenuiſſimum, quod alii Hilum appellarunt. *Soſip. Chariſ. lib. I. Locus hic cu-*

bat in in mendo. Legendum: Hilum, Varro rerum humanarum, intestinum dicit tenuissimum, quod alii hillum appellaverunt, &c.

Numerius Equitius Cupes, & Manius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exsilium actis, publicata sunt bona, & ædes, ubi habitabant, dirutæ. Ex ea pecunia scalæ ædis Deûm Penatium ædificatæ sunt. ubi habitabant, factus locus, ubi venirent ea, quæ vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero, macellum, ab altero, forum cupedinis appellatum. *Donat. in Terentium, in Eunuch.*

Qua murum fieri voluit, urgemur in unum. *Nonius, Urgere.*

M. TERENTII VARRONIS

ANTIQUITATUM RERUM DIVINARUM

AD C. CÆSAREM, PONTIFICEM MAXIM.

LIB. I.

QUI ERAT DE OMNIBUS COMMUNITER.

Ideo prius de rebus humanis scripsi, postea de divinis, quia divinæ istæ ab hominibus institutæ sunt. Sicut prior est pictor, quam tabula picta, prior faber, quam ædificium: ita priores sunt civitates, quam ea, quæ a civitatibus sunt instituta. Si de omni natura Deorum & hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana attigissemus. *August. de Civitate Dei lib. VI, cap. 4.*

Tria sunt genera Theologiæ, eorumque unum Mythicon appellatur, alterum Physicon, tertium Civile. Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetæ. Physicon, quo philosophi. Civile, quo po-

puli. Primum quod dixi, in eo ſunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta: in hoc enim eſt, ut Deus alius ex capite, alius ex fœmore ſit, alius ex guttis ſanguinis natus. In hoc ut Dii furati ſint, ut adulteraverint, ut ſervierint homini. Denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, ſed etiam in contemtiſſimum hominem cadere poſſunt. Secundum genus eſt, quod demonſtravi, de quo multos libros philoſophi reliquerunt, in quibus eſt, Dii, qui ſint, ubi ſint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an ſempiterno fuerint, an ex igne ſint, ut credidit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes, in ſchola, quam extra in foro ferre poſſunt aures. Tertium genus eſt, quod in urbibus cives, maxime Sacerdotes noſſe atque adminiſtrare debent, in quo eſt, quos Deos publice colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemquam par ſit. Prima Theologia maxime accommodata eſt ad Theatrum, ſecunda ad mundum, tertia ad urbem. *Auguſt. libro eod. cap. 5. Hæc huc repoſui, fide Riccob. malim tamen hæc referre ad claſſem eorum, quæ ſparſim ex Varrone, non tamen verbis ipſis auctoris referuntur.*

Duo ſunt principia Deorum animadverſa, de Cælo & Terra. *Auguſt. lib. VII. cap. 28. ſed de hoc fragmento, idem quod de duobus præcedentibus ſentio.*

Quæ pueritia eſt infrequens polluta. *Non. Pueritia.*

Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant nos. *Nonius in Caſtitas.*

Noſtro ritu ſunt facienda, quam civilibus, Græco caſtu. *Non. ibidem.*

Immortales ſunt animi. *Servius.*

Vacuna Dea eſt Victoria, & ea maxime hi gaudent, qui ſapientia vincunt. *Acron in Horatium, lib. I, Epiſt. 10.*

LIB. II.
QUI ERAT DE PONTIFICIBUS.

*

Cum aut humus ſemina recipere non poſſit, aut recepta non edat, aut edita grandire nequeat. *Nonius, Grandire.*

Is ſolus habet album galerum, vel quod maximus eſt, vel quod Jovi immolata hoſtia albata fieri oporteat. *Gell. lib. X, cap. 15.*

Trojanos oraculum a Dodonæo Jove, apud Epirum accepiſſe. *Servius.*

Æneam Troia profectum, Veneris per diem ſtellam ſemper vidiſſe, donec in Laurentum agrum venit, ubi non eſt amplius viſa. quare cognoviſſe, has terras eſſe fatales. *Idem.*

LIB. III.
QUI ERAT DE AUGURIBUS.

*

L. Scipio cum aurum factum haberet in vinea, fulmine ita eſt ictus, ut iſta eſſet integra, aurum colliquiſſet. *Nonius, in Liquidum.*

Salute oſtenta. *Priſc. lib. X.*

Viros vocare feriis non oportet: ſi vocaverit, piaculum eſto. *Macrob. lib. I, cap. 16.*

LIB. IV.

QUI ERAT DE QUINDECIM VIRIS SACRORUM, QUI LIBRORUM SIBYLLINORUM CUSTODIAM HABUERUNT, A SYLLA DICTATORE INSTITUTI, CUM ANTEA DUUMVIRI, ET POSTEA DECEMVIRI EOS LIBROS CUSTODIVISSENT.

*

Ibi cum amiſſam capram deſiderarent, animadvertiſſentque quendam ſpecum tenebricoſum. *Nonius*, *Specus gen. maſc.*

Antiſtita. *Soſip. lib. I.*

Sibyllinos libros non fuiſſe unius Sibyllæ, ſed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ ſunt a veteribus nuncupatæ: vel ab unius Delphidis nomine, vel a conſiliis Deorum denuntiandis. Σιοὺς enim Deos, non θεοὺς, & conſilium non βουλὴν, ſed βυλὴν appellabant Æolico genere ſermonis. Itaque Sibyllam dictam eſſe, quaſi Σιοβουλήν. Ceterum Sibyllas decem numero fuiſſe, eaſque omnes enumeravit ſub auctoribus, qui de ſingulis ſcriptitarunt. *Primam* fuiſſe de *Perſis*, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit. *Secundam Libycam*, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. *Tertiam Delphicam*, de qua Chryſippus loquitur, in eo libro, quem de Divinatione compoſuit. *Quartam Cumæam* in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominat. *Quintam Erythræam*, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe civem, eamque Grajis Ilium petentibus fuiſſe vaticinatam, & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. *Sextam Samiam*, de

qua ſcripſit Eratoſthenes in antiquis annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum. *Septimam Cumanam*, nomine Amalthæam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile, nominatur, eamque novem libros attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe : regemque aſpernatum pretii magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam. Illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe. Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe. quæ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret; motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus ſit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis & Græcis, præcipue Erythris, coacti collatique ſunt Romam, cujuſcunque Sibyllæ nomine fuerunt. *Octavam Helleſponticam*, in agro Trojano natam, vico Marpeſſo, circa oppidum Gargethium: quam ſcribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. *Nonam Phrygiam*, quæ vaticinata ſit Ancyræ. *Decimam Tiburtem* nomine Albumæam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas Anienis. Cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum : cujus ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit. *Lact. lib. I, cap. 6. ex Varr. lib. Rer. Div. in quo de XV viris agebatur, quem fuiſſe quartum ex Auguſtino liquet. Ex eodem Lactantii capite apparet, Varronem hos libros ad C. Cæſ. Pontif. Max. conſcripſiſſe. De novem libris allatis ad Tarquinium ſcribit etiam Gell. lib. I, cap. 19. qui nominat non Priſcum, ſed Super-*

lum. Plinius lib. XIII, cap. 13, ait inter omnes convenire, Sibyllam ad Tarquinium Superbum non novem libros, ſed tres attuliſſe, & ex his non primum tres, deinde alios tres deuſſiſſe, ſed duos, ac non tres reliquos vendidiſſe Tarquinio, ſed unum, eumque cum Capitolio Sullanis temporibus crematum eſſe.

Victorem Herculem dictum, quod omne animalium genus vicerit. *Macrob. lib. III, cap. 6.*

LIB. V.
QUI ERAT DE SACELLIS.

*

Aras primum anſas dictas, quod eſſet neceſſarium a ſacrificantibus eas teneri. *Macrob. lib. III, cap. 2.*

LIB. VI.
QUI ERAT DE SACRIS ÆDIBUS.

*

Canales eas diſpeſcit. *Philarg. in 4 Georg.*

Ædem Saturni ad forum faciundum locaſſe Lucium Tarq. regem: Titum vero Largium Dictatorem Saturnalibus eam dedicaſſe. *Macrob. lib I, c. 8.*

LIB. VII.
QUI ERAT DE LOCIS RELIGIOSIS.

*

Poſtquam vidit miſericordia labaſci mentem infirmam populi. *Nonius, Labaſcor pro labor.*

Inter duas filias regum quid mutet, eſt animo advertere. *A. Gellius, lib. XVIII, cap. 12. ſed legendum, inter d. f. reg. q. m. inter Antigonam & Tulliam, eſt animum advortere.*

Delubrum ait alios existimare, in quo præter ædem sit area adsumta Deum causa, ut est in Circo Flaminio Jovis Statoris; alios, in quo loco Deî simulacrum dedicatum sit. *Macrob. lib. III, cap. 4.*

Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellarunt: ita in quo Deum ponerent, nominarunt Delubrum. *Ibidem. alii hæc citant ex libro VIII Varr.*

LIB. VIII.
DE FERIIS.

*

LIB. IX.
DE CIRCENSIBUS LUDIS.

*

LIB. X.
DE SCENICIS.

*

Nonnullis Magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum est. *Macrob. lib. VI, cap. 4.*

LIB. XI.
DE CONSECRATIONIBUS.

*

Tragica vincula Baltea sunt. *Non. Balteum neutri generis.*

Proficiem extorum vel in mensam porricere. *Idem. Prosecta, exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum generis feminini.*

LIB. XII.
DE SACRIS PRIVATIS.

*

LIB. XIII.
DE SACRIS PUBLICIS.

*

LIB. XIV.
QUI ERAT DE DIIS CERTIS.

*

Biviris nuptis ſacrificabantur in cubiculo viduæ. *Nonius, Sacrificari pro ſacrificare.*

Amuletum. *Soſip. lib. I.*

Menſe octavo nonnunquam editum eſſe partum, aliquando etiam undecimo naſci poſſe hominem dicit: ejuſque ſententiæ tam de octavo, quam de undecimo menſe, Ariſtotelem laudat auctorem. Antiquos autem Romanos non recepiſſe hujuſcemodi quaſi monſtroſas raritates, ſed nono menſe aut decimo, neque præter hos aliis partionem mulieris ſecundum naturam fieri exiſtimaſſe. idcircoque nos nomina Parcis tribus feciſſe, a pariendo & a nono atque decimo menſe. Nam Parca, immutata litera una, a partu nominata: Item Nona, & Decima, a partus tempeſtivi tempore. *A. Gell. lib. III, cap. 16.*

Riccobonus multa fragmenta huc repoſuit, quæ nos ad alias claſſes ſupra retulimus.

LIB. XV.
DE DIIS INCERTIS.

*

Cum in hoc libello dubias de Diis opiniones poſuero; repræhendi non debeo. qui enim putabit

judicari oportere, poſſe cum audierit, faciet ipſe. Ego citius perduci poſſum, ut in I libro quæ dixi, in dubitationem revocem, quam in hoc quæ præſcribam omnia ad aliquam dirigam ſummam. *Aug. de Civit. Dei lib. VII, cap. 17.*

Volgus rumorem. *Soſip. lib. I.*

In ſimulacris aliud ſignificare cælum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat Ideas. Cælum, Jovem; Terram, Junonem: Ideas Minervam vult intelligi. Cælum, a quo fiat aliud; Terram, de qua fiat; Exemplum, ſecundum quod fiat. *Idem lib. ejuſd. cap. 28.*

Quod Pontifex in ſacris quibuſdam vitulari ſoleat, quod Græci παιανίζειν vocant. *Macrob. lib. III, cap. 2.*

LIB. XVI.

QUI ERAT DE DIIS SELECTIS.

*

De Diis populi Romani publicis, quibus ædes dedicaverunt, eoſque pluribus ſignis notaverunt, in hoc libro ſcribam; ſed, ut Xenophanes Colophonius ſcribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis enim eſt, hæc opinari, Dei ſcire. *Aug. lib. VII, de civit. Dei, cap. 17.*

Hoc nomine antiquos ſecundis rebus Comas habitaſſe. *Nonius, Habitare, uti.*

Tres eſſe affirmat animæ gradus, in omni univerſaque natura. unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, tranſit, & non habet ſenſum. Hanc vim in noſtro corpore permanare dicit in oſſa,

ungues, capillos, ſicut in mundo arbores ſine ſenſu aluntur, & creſcunt, & modo quodam ſuo vivunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo ſenſus eſt. Hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur Animus, in quo intelligentia præeminet. Hoc præter hominem omnes res carere mortales: in quo quoniam homines videntur Deo ſimiles, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem Genium vocari. Sic ergo & in anima mundi tres gradus inſtituens, unam partem ejus lapides eſſe dicit, ac ligna, & hanc terram, quam videmus, quo non permanat ſenſus: aliam vero, quam ſenſum vocat ejus, ut æthera: tertiam porro, quam & animam ejus nuncupat, quæ ſcilicet pervenit in aſtra. Eam quoque aſſerit facere Deos, & per eam, quando in terram permanat, Deam Tellurem: quod autem inde permanat in mare atque Oceanum, Deum eſſe Neptunum. *Auguſt. lib. VII de Civit. Dei. cap.* 23.

Diis quibuſdam patribus, & Deabus matribus, ſicut hominibus, ignobilitatem accidiſſe. *cap.* 3.

Antiquos ſimulacra Deorum, & inſignia ornatuſque confinxiſſe, quæ cum oculis animadvertiſſent hi, qui adiſſent doctrinæ myſteria, poſſent animam mundi ac partes ejus, id eſt, Deos veros animo videre: quorum qui ſimulacra ſpecie hominis fecerunt, hoc videri ſecutos, quod mortalium animus, qui eſt in corpore humano, ſimillimus eſt immortalis animi: tanquam ſi vaſa ponerentur cauſa notandorum Deorum, & in Liberi æde Œno-

phorum sisteretur, quod significaret vinum, per id quod continet, id quod continetur; ita per simulacrum, quod formam haberet humanam, significari animam rationalem, eo quod velut vase natura ista soleat contineri: cujus naturæ Deum volunt esse, vel Deos. *lib. VII, cap. 5.*

Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Græci vocant *κόσμον*, & hunc ipsum mundum esse Deum. Sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore & animo, tamen ab animo dici sapientem: ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore. *lib. VII, cap. 6.*

Mundum dividi in duas partes, Cælum & Terram: & Cælum bifariam in æthera & aera; Terram vero in aquam & humum; e quibus summam esse æthera, secundam aera, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes quatuor partes animarum esse plenas: in æthere & aere immortalium; in aqua & terra mortalium. A summo autem circuitu cæli, usque ad circulum Lunæ, æthereas animas esse, astra ac stellas, eosque cælestes Deos non modo intelligi esse, sed etiam videri. Inter Lunæ vero gyrum & nimborum ac ventorum cacumina aereas esse animas, sed eas animo, non oculis videri, & vocari Heroas, & Lares, & Genios. *Ibidem.*

Cælo tribuit masculos Deos: feminas Terræ, inter quas posuit Minervam. *cap. 28.*

Deos selectos esse, Janum, Jovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum Patrem, Tellurem, Cererem, Junonem, Lunam, Dia-

nam, Minervam, Venerem, Veſtam. *Auguſt. lib. VII, cap. 2.*

Janus mundus eſt. *cap. 8.*

Duas facies ante & retro habere dicitur Janus, quod hiatus noſter, cum os aperimus, mundo ſimilis videatur. Unde & palatum Græci οὐρανὸν appellant, & nonnulli poetæ Latini, cælum vocaverunt Palatum: a quo hiatu oris, & foris eſſe aditum ad dentes verſus, & introrſus ad fauces. *Auguſt. lib. VII, cap. 8.*

Juppiter Deus eſt habens poteſtatem cauſarum, quibus aliquid fit in mundo. Ei præponitur Janus, quoniam penes Janum ſunt prima, penes Jovem ſumma. Merito ergo Rex omnium Juppiter habetur. Prima enim vincuntur a ſummis, quia, licet prima præcedant tempore, ſumma ſuperant dignitate. *cap. 9.*

Saturnus unus eſt de principibus Deus, penes quem ſationum omnium dominatus eſt. *cap. 13.*

Saturnum dixerunt, quæ nata ex eo eſſent, ſolitum devorare, quod eo ſemina, unde naſcerentur, redirent: & quod illi pro Jove gleba objecta eſt devoranda, ſignificat manibus humanis obrui cœptas ſerendo fruges, antequam ſubtilitas arandi eſſet inventa. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VII, cap. 19.*

Falcem habet propter agriculturam. *Ibidem.*

Ideo dicit a quibuſdam pueros ei ſolitos immolari, ſicut a Pœnis, & a quibuſdam etiam majores, ſicut Gallis; quia omnium ſeminum optimum eſt genus humanum. *Ibidem.*

Quod Cælum patrem Saturnus caſtraſſe in fa-

bulis dicitur, hoc ſignificat, penes Saturnum, non penes Cælum, ſemen eſſe divinum. hoc propterea, quantum intelligi datur, quia nihil in Cælo de ſeminibus naſcitur. *Ibidem.*

Κρόνον appellatum dicit, quod Græco vocabulo ſignificat temporis ſpatium, ſine quo ſemen non poteſt eſſe fœcundum. *Ibidem.*

Ideo Saturnus pater a Jove filio eſt ſuperatus, quod ante eſt cauſa, quæ pertinet ad Jovem, quam ſemen, quod pertinet ad Saturnum. *cap. 18.*

Genium eſſe uniuſcujuſque animum rationalem: & ideo eſſe ſingulos ſingulorum: talem autem mundi animam Deum eſſe. *cap. 13.*

Genius Deus eſt, qui præpoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gerendarum. *Ibidem.*

In Italiæ compitis quædam dicit ſacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur: non ſaltem aliquantum verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exſultante nequitia. nam hoc turpe membrum, per Liberi dies feſtos, cum honore magno ploſtellis impoſitum, prius per rura in compitis, & uſque in urbem poſtea vectabatur. In oppido autem Lavinio unus Libero totus menſis tribuebatur; cujus diebus verbis omnes flagitioſiſſimis utebantur, donec illud membrum per forum tranſvectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret: cui membro inhoneſto matrem familias honeſtiſſimam palam coronam neceſſe erat imponere. *cap. 21.*

Quoniam in primo libro dixit de locis, duo

ſunt principia Deorum animadverſa de Cælo & Terra, a quo Dii partim dicuntur cæleſtes, partim terreſtres: ut in ſuperioribus initium fecimus a Cælo, cum diximus de Jano, quem alii Cælum; alii dixerunt eſſe Mundum: ſic de feminis initium ſcribendi fecimus a Tellure. *cap. 28.*

Una eadem Terra habet geminam vim, & maſculinam, quod ſemina producat, & femineam, quod recipiat atque nutriat. Inde a vi feminea dictam eſſe Tellurem, a vi maſculina Tellumonem. Cur ergo Pontifices, ut ipſe indicat, addidis quoque aliis duobus, quatuor Diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Ruſori? De Tellure & Tellumone jam dictum eſt. Altori quare? quod ex terra aluntur omnia, quæ nata ſunt. Ruſori quare? quod rurſus cuncta eodem revolvuntur. *cap. 23.*

Eandem dicunt matrem magnam. quod tympanum habeat, ſignificari eſſe Orbem Terræ: quod turres in capite, Oppida: quod ſedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipſam non moveri. Quod Gallos huic Deæ ut ſervirent fecerunt; ſignificare eos, qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere. in ea quippe omnia reperiri. quod ſe apud eam jactant, præcipitur, qui terram colunt, ne ſedeant: ſemper enim eſſe quod agant. Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum ac manuum, & ejus rei crepitus in colendo agro qui fit, ſignificat quod ferramenta illa ideo erant ex ære, quod antiqui illam colebant ære, antequam ferrum eſſet inventum. Leonem adjugunt ſolutum ac manſuetum, ut oſtendant, nullum genus terræ tam remo-

tum ac vehementer ferum, quod non ſubigi colique conveniat. *cap.* 24.

Tellurem putant eſſe Opem, quod opera fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat; Proſerpinam, quod ex ea proſerpant fruges; Veſtam, quod veſtiatur herbis. Sic alias Deas non abſurde ad hanc revocant, cum quibus opinio majorum de his Deabus, quod plures eas putarunt eſſe, non pugnat: ſed poteſt fieri, ut eadem res & una ſit, & in ea quædam res ſint plures. *Ibidem.*

Sed hæc omnia referuntur ad mundum. *cap.* 29.

Provincia fluorum menſtruorum, Junoni adſignatur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VII, cap.* 3.

Proſerpina ſignificat fœcunditatem ſeminum. quæ cum defuiſſet quodam tempore, eademque ſterilitate terra mœreret, exorta eſt opinio, quod filiam Cereris, id eſt, ipſam fœcunditatem, quæ a proſerpendo Proſerpina dicta eſſet, Orcus abſtuliſſet, & apud inferos detinuiſſet: quæ res cum fuiſſet luctu publico celebrata, quia rurſum eadem fœcunditas rediit, Proſerpina reddita, exorta eſt lætitia, & ex hoc ei ſolemnia ſunt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. VII, cap.* 20.

Venilia, unda eſt, quæ ad litus venit; Salacia, quæ in ſalum redit. *cap.* 22.

INCERTI LIBRI.

*

Etenim ut Deos colere debet communitus ci-

vitas, ſic ſingulæ familiæ debemus. *Nonius, Communitus, pro communiter.*

Utile eſſe civitatibus, ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex Diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus, velut divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſas ſecuritate felicius. *Auguſtinus de Civitate Dei lib. III, cap. 4.*

Dicit omnes ab his mortuos exiſtimari Manes Deos, & probat per ea ſacra, quæ omnibus fere exhibentur mortuis; ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum divinitatis indicium, quod non ſoleant ludi, niſi numinibus celebrari. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VIII, cap. 26.*

Quomodo nihil prodeſt homines alicujus medici nomen formamque noſſe, & quid ſit medicus ignorare: ita dicit, nihil prodeſſe ſcire Deum eſſe Æſculapium, ſi neſcias eum valetudini opitulari, atque ita ignores, cur debeas ei ſupplicare. *Auguſt. de Civit. Dei lib. IV, cap. 22.*

Non modo bene vivere, ſed vivere omnino neminem poſſe, ſi ignoret, quiſnam ſit faber, quis piſtor, quis tector, a quo quid utenſile petere poſſit: quem adjutorem aſſumere, quem ducem, quem doctorem. eo modo nulli dubium eſſe, ita utilem eſſe cognitionem Deorum, ſi ſciatur, quam quiſque Deus vim & facultatem, aut poteſtatem cujuſque rei habeat. *Ibidem.*

Ex eo enim poterimus ſcire, quem cujuſque rei cauſa Deum advocare & invocare debeamus: ne fa-

ciamus, ut Mimi ſolent, & optemus a Libero aquam, a Lymphis vinum. *Ibidem.*

Non ſe illa judicio ſuo ſequi, quæ civitatem Romanam inſtituiſſe commemorat; ut ſi eam civitatem novam conſtitueret, ex naturæ potius formula Deos, nominaque Deorum ſe fuiſſe dedicaturum, non dubitet confiteri. Sed jam quoniam in vetere populo eſſet accepta ab antiquis nominum & cognominum hiſtoriam tenere, ut tradita eſt, debere ſe dicit: & ad eum finem illa ſcribere ac perſcrutari, ut potius eos magis colere, quam deſpicere vulgus velit. *Auguſt. de Civit. Dei lib. IV, cap. 31.*

Multa eſſe vera, quæ non modo vulgo ſcire non ſit utile, ſed etiam, tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare populum expediat: & ideo Græcos Teletas ſua myſteria taciturnitate parietibuſque clauſiſſe. *Idem, ibidem, ut & ſequentia.*

Quod hi ſoli ei videantur animadvertiſſe, quid eſſet Deus, qui crediderunt eum eſſe animam, motu ac ratione mundum gubernantem.

Dicit etiam, antiquos Romanos, plus quam annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulacro coluiſſe. Quod ſi adhuc (inquit) manſiſſet, caſtius Dii obſervarentur. Cujus ſententiæ ſuæ teſtem adhibet, inter cetera etiam gentem Judæam: nec dubitat illum locum ſic concludere, ut dicat, Qui primi ſimulacra Deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum demſiſſe, & errorem addidiſſe.

Juppiter etiam ab iis colitur, qui unum Deum ſolum ſine ſimulacro colunt, ſed alio nomine nuncupatur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. IV, cap. 9.*

P 3

Dicit etiam de generationibus Deorum magis ad Poetas, quam ad Physicos fuisse populos inclinatos; & ideo & sexum & generationem Deorum majores suos, id est, veteres credidisse Romanos, & eorum instituisse conjugia. *August. lib. IV de Civit. Dei, cap. 32.*

Se timere, ne pereant Dii, non incursu hostili, sed civium negligentia: de qua illos velut ruina, liberari a se dicit, & in memoria bonorum per hujusmodi libros recondi atque servari; utiliore cura, quam Metellus de incendio sacra Vestalia, & Æneas de Trojano excidio Penates liberasse prædicetur. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 2.*

Confitetur, a Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

Epulones parasitos Jovis ad ejus convivium adhibitos dixit. *Idem lib. VI, cap. 7.*

Apim regem Argivorum post mortem non Apim, sed Serapim, appellatum esse, quia arca, in quam mortuus ponitur, omnes jam Σαρκοφάγον vocant, Σορὸς dicitur Græce: & ubi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam templum ejus esset exstructum, velut Sorasapis, vel Sorapis primo, deinde una litera, ut fieri adsolet, commutata, Serapis dictum. *August. lib. XVIII, cap. 5.*

Constitutum est etiam de illo, ut quisquis illum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. *Ibidem.*

Et quoniam vero in omnibus templis, ubi colebantur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum,

quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret, hoc ſignificare, ut homines illos fuiſſe taceretur. *Ibidem.*

Veſtalem Virginem, cum periclitaretur falſa ſuſpicione de ſtupro, cribrum impleſſe aqua de Tiberi, & ad ſuos judices, nulla ejus parte ſtillante, portaſſe. *Auguſt. de Civit. Dei lib. XXII, cap. 11.*

Cum & ipſi hoſtorici inter ſe, quaſi data opera, & quaſi ex induſtria, per multa diſſentiant. *Forte ex lib. XVIII, cap. 40.*

Quendam tibicenem ita populum delectaviſſe, ut Rex fieret. *Auguſt. de quantitate animæ.*

Mulieri fœtæ poſt partum tres Deos cuſtodes adhiberi, ne Silvanus Deus per noctem ingrediatur & vexet: eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus: & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deverrere ſcopis, ut his datis culturæ ſignis, Deus Silvanus prohibeatur intrare, quia neque arbores cæduntur ac putantur ſine ferro, neque far conficitur ſine pilo, neque fruges coacervantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupari Deos, Intercidonam a ſecuris interciſione, Pilumnum a pilo, Deverram a ſcopis: quibus Diis cuſtodibus contra vim Dei Silvani fœta conſervaretur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

Pater magnus, ut mater magna hic eſt cælus. *Nonius, Cælus maſcul. genere.*

Sicut Ajus Deus appellatus, araque ei ſtatuta eſt; quæ eſt in infima Nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nomina-

tus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri, simulatque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. idcirco Vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. *A. Gell. lib. XVI, cap. 17.*

Aliam etiam ibi affert nominis etymologiam, videlicet a vaticiniis, quæ vi atque instinctu ejus Dei, in eo agro fieri solita essent.

Lactantem Deum esse, qui se infundit segetibus, ac facit eos lactescere. *Servius, in 1 Georgic.*

Varro Lares nunc esse Manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum: nunc aerios rursus Deos & Heroas pronuntiat appellari; nunc antiquorum sententias sequens, Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios defunctorum. *Arnob. lib. III contra gentes.*

Tutulos sacerdotes dici brevium Deorum. *Fulg. de Prisco sermone.*

Religiosum a superstitioso ita decernit, ut a superstitioso dicat timeri Deos, a religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri: atque omnes ita bonos dicit, ut facilius sit eos nocentibus parcere, quam lædere quemquam innocentem. *De hoc argumento vide Lactantium lib. IV, cap. 28.*

Novensiles Deos novem esse, quod novenarius numerus in movendis rebus potissimus habeatur & maximus. *Arnob. contra gentes lib. 3.*

Penates, qui sunt intrinsecus, atque in intimis penetralibus, cæli Deos esse, nec eorum numerum, nec nomina sciri. *Ibidem.*

Luperca Dea appellata eſt, quod abjectis infantibus lupa pepercit. *Idem, lib. IV.*

Phileſius Apollo dictus ab oſculo Branchi pueri Apollinis dilecti, ſive filii. *Lactant. in lib. VIII Thebaid.*

Enumerare Deos cœpit a conceptione hominis, quorum numerum exorſus eſt a Jano, eamque ſeriem perduxit uſque ad decrepiti hominis mortem, & Deos ad ipſum hominem pertinentes clauſit ad Næniam Deam, quæ in funeribus ſenum cantatur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

M. TERENTII VARRONIS DE CULTU DEORUM LIBER.

*

Quod ergo aquam egeſſerit, id eſt, exportaverit, Numa Pompilius, unde Hydromantiam faceret, ideo Nympham Egeriam conjugem dicitur habuiſſe. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VII, cap. 35.*

Quod genus divinationis, a Perſis dicit allatum. quo & ipſum Numam Pompilium, & poſtea Pythagoram philoſophum uſum fuiſſe commemorat, ubi adhibito ſanguine etiam inferos perhibet ſciſcitari, & Νεκυομαντίαν Græce dicit vocari. *Ibid.*

Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum, & bubuculus ejus juxta ſepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruiſſet ex terra, libros ejus, ubi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſæ, in urbem pertulit ad Prætorem. At ille cum inſpexiſſet principia, rem tantam detulit ad Sena-

tum. ubi cum primores, quaſdam cauſas legiſſent, cur quidque in Sacris fuerit inſtitutum, Numæ mortuo Senatus aſſenſus eſt, eoſque libros tanquam religioſi Patres conſcripti, Prætor ut combureret, cenſuerunt. *Ibidem cap. 34.*

Valerii Sorani verſus hi ſunt:

Juppiter omnipotens regum rex ipſe Deuſque,
Progenitor genitrixque Deum, Deus unus & omnis.

Exponuntur autem in illo libro ita, ut eum marem exiſtimarent, qui ſemen emitteret, feminam, qui acciperet. Jovemque eſſe mundum, & eum omnia ſemina ex ſe emittere, & in ſe recipere: qua cauſa, (inquit) ſcripſit Soranus *Juppiter progenitor genitrixque:* nec minus cum cauſa *Unus & omnis.* Mundus enim unus, & in eo omnia ſunt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. VII, cap. 9 & 13.*

Tres aræ ſunt in Circo medio ad columnas, in quibus ſtant ſigna. *Forte ex capite 23.*

M. TERENTII VARRONIS
AUGURUM
LIBRI.

*

Viros vocare Feriis non oportet. ſi vocavit, piaculum eſto. *Macrob. lib. I, cap. 16.*

M. TERENTII VARRONIS
DE INITIIS URBIS ROMÆ
LIBER.

Lupus femina. *Quinctil. lib. I, cap. 6.*

M. TERENTII VARRONIS
DE GENTE POPULI ROMANI
LIB. I.

*

In terra continenti. *Sosip. lib. I.*

Fagos φήγους vocant. *Ibidem.*

A diluvio Deucalionis & Pyrrhæ, adusque Hirtii consulatum & Pansæ, annorum esse millia nondum duo. *Arnob. lib. V.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

A mare operta oppida. *Sosip. lib. I.*

Ludos Olympiæ fecerat. *Ibidem.*

Genethliaci quidam scripserunt esse in renascendis hominibus, quam appellant παλιγγενεσίαν Græci. Hanc scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus & eadem anima, quæ fuerat conjuncta in homine, aliquando eandem redeant in conjunctionem. *August. de Civit. Dei lib. XXII, cap. 28.*

In cælo mirabile exstitit portentum: nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Ἕσπερον appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum exstitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antea, neque postea sit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastus Cyzicenus, & Dion Neapolites, Mathematici nobiles. *August. de Civit. Dei lib. XXI, cap. 8.*

Apud ſepulcrum ſeptimi ſui regis Thurimachi, ſacrificare Sicyonios ſolere. *Ibidem*, *lib. XVIII*, *cap. 3.*

Sabinos a Romulo ſuſceptos, hunc accepiſſe montem, quem ab Avente, fluvio provinciæ ſuæ, appellavere Aventinum. *Servius in 7 Æneidos.*

Majores noſtri ſedentes epulabantur, quem morem habuerunt a Laconibus & Cretenſibus. *Ibidem. Iſidorus lib. XX. ex libris de vita populi Romani hæc citat.*

Olim XXV miſſus exhibebantur: ſed viceſimus quintus dicebatur ærarius, eo quod de collatione populi exhibebatur: qui deſiit eſſe, poſtquam conferendæ pecuniæ eſt conſuetudo ſublata. unde hodieque permanſit, ut ultimus miſſus appellaretur ærarius. *Servius ad 3 Georgic.*

M. TERENTII VARRONIS
DE VITA POPULI ROMANI
AD T. POMPONIUM ATTICUM.

*

Neque ille Callicles quaternum digitum tabellis nobilis cum eſſet factus: tamen in pingendo adſcendere potuit ad Euphranoris altitudinem. *Soſip. lib. I.*

Neque enim obſonium in tota cœna exceptum ex variis rebus, conjectum in unam ſportam perſpicitur. *Nonius, Sportæ, aut a ſparto, quaſi ſparteæ, aut ab aſportando.*

Primum de re familiari ab patribus, ſecundo de victuis conſuetudine primigenia, tertio de diſci-

plinis priſcis neceſſariis vitæ. *Nonius*, *Victuis*, *pro victus.*

Neque ut in ſingulis rebus diutius moremur, ut dixi, atque enodare ſubtilius velimus. *Nonius*, *Enodare*, *explanare.*

Pecunia quæ erat parva, ab ea paupertas dicta: cujus paupertatis magnum teſtimonium eſt. *Idem*, *Paupertas.*

Quibus erant aſſes, Aſſiduos; contrarios, Proletarios. *Nonius*, *in Proletarii.*

Aut bovem, aut ovem, aut vervecem habet ſignum. *Idem*, *Vervex.*

Qui primus uxorem ducebat, duabus culcitis, ac duabus toros plagulis cum ſtraſſet. *Idem*, *Culcita.*

Nubentes veteri lege Romana aſſes tres ad maritum venientes ſolebant ferre, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi cauſa marito dare: alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in ſacciperione cum condidiſſent compito vicinali ſolere reſonare. *Idem*, *de doctorum indagine.*

Præter ea quoque in lecto togas ante habebant: ea enim olim fuit commune veſtimentum, & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile. *Idem*, *Toga.*

Quod fronde lecticas ſtruebant, ex ea herba torta, Torus appellatus, hoc, quod injicitur, etiamnum Toral dicitur: lecticam quis involvebant, Segeſtria appellabant. *Nonius*, *Toral ſtragulum.*

Poſteaquam binas tunicas habere cœperunt, in-

ſtituerunt vocare Subuculam, & induſium. *Idem, Subucula.*

Ex quo mulieres in adverſis rebus ac luctibus, cum omnem veſtitum delicatiorem ac luxurioſum poſtea inſtitutum ponunt, ricinia ſumunt. *Idem, Ricinium.*

Caltola palliolum breve. *Nonius, Caltula.*

Qua finis ſit, Antica & Poſtica: in poſtica parte erat culina, dicta ab eo, quod ibi colebant ignem. Locupletiorum domus quam fuerint anguſtiis paupertinis coactæ, ipſa nomina declarant. *Idem, Culina.*

Ad focum hieme ac frigoribus cœnitabant, æſtivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino, quod Mænianum poſſumus intelligere, tabulis fabricatum. *Nonius in Cohortes.*

Itaque ea ſibi modo ponere ac ſuſpendere, quæ utilitas poſtularet, trulleum, matellionem, pelvim, naſiternam, non quæ luxuriæ cauſa eſſent parata. Ejus urceolum aquæ manalem vocamus, quod eo aqua in trulleum effundatur. unde Manalis lapis appellatur in pontificalibus ſacris, qui tunc movetur, cum pluviæ exoptantur; ita apud antiquiſſimos manalem ſacrum vocari quis non noverit? unde nomen illius. *Nonius, Trulleum.*

Item erant vaſa vinaria Sini, Cymbia, culignæ, pateræ, gutti, ſextarii, ſimpuvium. *Idem, Cymbia.*

Etiam nunc pocula, quæ vocant Capulas ac capides. item armillum, quod eſt urceoli genus vinarii. *Idem, Armillum.*

Item ex ære, ut urnulæ aquales, matulæ, ſic ceteræ. *Idem, Urnula.*

Id fere habent æneum alii, qui venditant oleum. Lepiſtæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus pleriſque aut fictiles ſunt aut ænea. *Idem, Lepiſtæ.*

Antiquiſſimi in conviviis utres vini primo, poſtea tinas ponebant. *Idem in Cupæ, & Tinæ.*

Ubi erat vinum in menſa poſitum, aut Lepeſtam, aut Galeolam, aut Sinum: tria enim, pro quibus nunc Acrotophoron. *Sinum Græci δῖνον vocant. Priſcianus lib. VI, & Nonius Sinum, & Servius Ecloga 7.*

Dicuntur etiam patellæ, ſalini, acetabula, catini, pateræ. *Nonius, Catinus.*

Mori longi, cum operculo ad cupas, tertio amphoras. *Idem in Cupæ & Tinæ.*

Nec piſtoris nomen erat, niſi ejus, qui ruri far pinſebat, nominati ab eo, quod pinſeret. *Nonius, Pinſere.*

Proinde & elixum panem ex farre & aqua frigida fingebant. *Idem, Elixum.*

Paſtillos & panes. hæc vocabula paſtus, quod eſſe, paſcere dicebant. *Idem, Panes.*

Cocula, quæ coquebat panem, primum ſub cinere, poſtea in forno, cujus utique vocabulum a formo dictum, id eſt, a caldore. *Idem, Fornum.*

Nefarii a farre, quod adoreum eſt, quo ſcelerati uti non debeant, non triticum, ſed far. *Idem, Nefariam.*

Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut ſapam, aut defrutum aut paſſum, quam mur-

rhinam quidam Plautum appellare putant. Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant. Defrutum, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo. Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent a sole aduri. *Idem*, *Lora*, *Sapa*, *Passum.*

Tum autem murrhinam, vino addito, loram, passum, potare cœperunt. Loriolam nominabant, cum ex uvis expressum erat, & ad folliculos reliquos & vinacea adjiciebant aquam. *Idem*, *Loriola.*

Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex uno exemplo potest videri. *Idem*, *Abstemius.*

Quod antequam nomen dolii prolatum esset, cum id genus vasis Calpar diceretur, id vinum Calpar appellatum. *Nonius*, *Calpar.*

Extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis attribuit. *Nonius*, *Viritim.*

Metium Suffetium propter perfidiam interemit pæne imperiosius, quam humanius: nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit. *Idem*, *Distrahere*, *dividere.*

Sed quod ea & propter talem misturam immoderatam ex æquis cunctis, quod temperatura moderatur in Romuli vita triplices civitates. *Varro*, *Mistura pro moderatura aquis crescunt*, *itaque quot t. m. i. R. v. triplices civ.*

Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & consenescere. *Nonius*, *Distrahere*, *vendere*, *sed ex libro II.*

Posteaque Quinto Fabio Maximo Dictatore. *Nonius, Senati, vel Senatuis, pro Senatus.*

Tullum Hostilium in Veliis, ubi nunc est ædis Deûm Penatium; Ancum in Palatio ad portam Mugionis, secundum viam sub sinistra. *Nonius in Secundum.*

Hanc Deam Ælius putat esse Cererem: sed quod in asylum qui confugissent, panis daretur, esse nomen factum a pane dando. *Nonius in Pandere.*

Hæc ædis, quæ nunc est, multis annis post facta sit: in qua omnia regiis temporibus delubra parva facta. *Nonius, Ædis nominativo singulari.*

Quid inter hos Joves intersit, & eos, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere, & horum temporum divitias, & illorum paupertates. *Nonius, Paupertates numero plurali.*

Ut in cetero cultu, quæ sunt consentanea, quod sunt paupertina, sine elegantia & cum castimonia. *Nonius, Paupertinum.*

Et a quibusdam esse dicitur Virginis Fortunæ simulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim reges nostri undulatas & prætextas togas soliti sunt habere. *Nonius, Undulatum.*

Quod kalendis Juniis & publice & privatim fabatam pultem Diis mactant. *Non. Mactare, immolare.*

Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, & dicunt se Lemures domo extra januam ejicere. *Nonius, Lemures.*

In eorum enim sacris liba cum sunt facta, in-

cerni ſolent farris ſemine, ac dicere, ſe ea Februare, id eſt, pura facere. *Nonius, Februare pro purgare.*

Etiam pelles bubulas, oleo perfuſas percurrebant, ibique cernuabant. a quo ille verſus vetus eſt in carminibus: *Sibi paſtores ludos faciunt cernui. Conſualia. Nonius, Cernuus, inclinatus.*

Ludius, quod ludis pueri præſultores eſſent glabri ac depiles propter ætatem, quos antiqui Romani Lydios appellabant. *Nonius, Ludius.*

Minores natu capite aperto erant, capillo pexo, vittiſque innexis criminibus. *Non. in Apertum.*

Cum interea lucubrando faceret juxta ancillas lanam. *Nonius, Juxta, conjunctim.*

LIB. II.

*

Itaque propter curam locus quoque, quo ſuam quiſque Senator confert, curia appellatur. *Nonius in Curia.*

Quod iidem dicebantur Conſules & Prætores: quod præirent populo, Prætores: quod conſulerent Senatum, Conſules. *Nonius, Conſules.*

Itaque quod hos arbitros inſtituerunt populi, Cenſores appellarunt: idem enim valet Cenſere & arbitrari. *Nonius, Cenſere.*

Itaque Kalendis calabantur, id eſt vocabantur, & ab eo Kalendæ. *Nonius, Kalendæ. ſed refert ad librum præcedentem.*

Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant ſexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otioſi. Ideo in proverbium quidam putant veniſſe, ut diceretur, Sex-

agenarios de ponte dejici oportere, id eſt, quod ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. *Idem*, *Sexagenarios de ponte.*

Propter res ſecundas ſublato metu non in commune ſpectant, ſed ſuum quiſque diverſi commodum focillantur. *Idem*, *Focillatur pro fovet.*

Multo præditi pudore & pudicitia adoleſcentes duxerunt, cum majore parte ejus graduis & ætatis ſtipendia facerent. *Idem*, *Graduis*, *pro gradus.*

Ut noſter exercitus ita ſit fugatus, ut Galli Romæ, niſi Capitolii ſint potiti, neque inde ante ſex menſes ceſſerint. *Idem*, *Genitivus pro ablativo.*

Aut aliqua ex argentaria trutina, aut lingua penſum præ ſe omnes ferrent. *Idem*, *Trutina.*

Auri pondo duo millia acceperant ex ædibus ſacris & matronarum ornamentis, a quibus poſtea id aurum, & torques aureæ multæ velatæ Romam atque conſecratæ. *Idem*, *Torques.*

Delphos Apollini munera miſſa, corona aurea pondo decemûm. *Nonius*, *Pondo. ſed ex libro tertio.*

Nihilo magis propter argenti facti multitudinem, miſerat furandum: quod propter Cenſoriam ſeveritatem nihil luxurioſum habere licebat. *Id. Multitudo.*

Qua abſtinentia viri muliereſque Romanæ fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere. *Idem*, *Negativæ duæ pro una.*

Quibus cum turpe fecerant fœdus ſine publico conſilio, dederunt hoſti, quotquot * Decius Imperator pro exerciti ſalute ſe Dis manibus devovit. *Idem*, *Exerciti pro exercitus.*

Hoc intervallo primum forenſis dignitas crevit,

& ex tabernis ligneis, argentariæ factæ. *Idem*, *Tabernæ.*

Nam lateres argentei atque aurei primum conflati, atque in ærarium conditi. *Idem*, *Lateres.*

In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & assa voce, & cum tibicine. *Idem*, *Assa voce pro sola.*

Sic in privatis domibus, pueri liberi & pueræ ministrabant. *Nonius*, *Puera pro puellæ.*

Cum a nova nupta ignis in face afferretur, foco ejus sumtus: fax ex pinu alba esset, ut eam puer ingenuus ferret. Contra a novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset. *Idem*, *Fax pro face. Idem*, *Titïo & Fœlix.*

Natus si erat vitalis, ac sublatus ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: Diis conjugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur. *Idem*, *Pilumnus*, *Picumnus.*

Mensæ ante ponebantur cum culina ac vino: in quis quæ veniebant ad fœtam amicæ gratulatum, Diis mactabant. *Idem*, *Fœtum.*

L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur. Ipse cum rediit ex Asia, millia cadorum congiariorum divisit amplius centum. C. Censius, quem Prætorem vidimus, Chium vinum in domum suam illatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset, Hortensius supra decem millia cadûm heredi reliquit, medimnum vi-

ni mille cadûm. *Plinius lib. XIV, cap. 14. Nonius, Cadi. ſed ex libro III.*

Quod ex hereditate Attalica aulæa, chlamydes, plagæ aureæ. *Nonius, Aulæa. ſed ex lib. II.*

Ad Sybaritanam prædam, in qua ſunt tripodes, crateræ, anancea pocula nobilium Tarentinarum. *Non. Craterræ. ſed ex lib. III.*

Eadem poſtea carbaſinea, ut pellibus tegerentur togæ. *Non. Carbaſus.*

Nec minus alio in genere ſunt ludi, velitis Galli Germani Petauriſtæ. *Non. Petauriſtæ.*

Mactare verbum eſt ſacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quaſi magis augere, ut adolere. Unde & magmentum, quaſi majus augmentum: nam hoſtiæ tanguntur mola ſalſa; & tum immolatæ dicuntur. cum vero ictæ ſunt, & aliquid ex illis in aram datum eſt; mactatæ dicuntur, per laudationem, itemque boni ominis ſignificationem. & cum illis mola ſalſa imponitur, dicitur: *Macte eſto. Porphyr. m. 5. Carr. ad Sat. 2 lib. I Horat.*

LIB. III.

*

Tum appellatus eſt delectus, & ab electione Legio. ab hoc ſupervacaneorum conſuetudine adſcribuntur, qui adſcriptivi ſunt. qui cum erant attributi decurionibus & centurionibus, qui eorum haberent numerum, Accenſi vocabantur. Eoſdem etiam quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant fundis & lapidibus, his armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur. *Nonius, Legio. Item Decuriones.*

Rorarii ſunt appellati, quod imbribus fere primum rorare incipiat. *Non. Rorarii.*

Qui gladiis cincti ſine ſcuto, cum binis geſis eſſent. *Non Geſa.*

Referentibus centurionibus adoptati in cohortes ſubibant, ut ſemper plenæ eſſent legiones. a quo Optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellatæ. *Non. Optiones.*

Qui in exercitu donati eſſent, ut equo publico mererent. *Non. Meret.*

Stipendium appellabatur quod æs militi ſemeſtre aut annuum dabatur: cui datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus eſſet. *Non. Ære dirutus.*

Nam poſtea C. Luctatio Conſuli ad Ægates inſulas, cum ipſe catapulta ictus eſſet. *Non. Catapulta.*

Quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant: a quo in Tiberi naves Codicarias appellamus. *Non. Codicariæ naves.*

Animadvertendum primum, quibus de cauſis & quemadmodum conſtituerint paces: ſecundum qua fide & juſtitia eas coluerint. *Nonius, Paces plurali numero.*

Itaque bella & tarde & nulla licentia ſuſcipiebant: quod bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere, & priuſquam indicerent bellum, his, a quibus injurias factas ſciebant, feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant. *Non. Feciales.*

Si cujus Legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamvis nobiles eſſent, ut dederentur ſtatuerunt,

fecialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, judicarent & constituerent. *Non. Feciales.*

Verbenarius ferebat verbenam. id erat caduceus, pacis signum: nam Mercurii virgam possumus existimare. *Non. Caduceus. sed ex libro secundo.*

Mutini quod in Sicilia cum equitatu suo transierant ad nos, civitatem Romæ datam, ædesque & pecuniam ex ærario. *Ascon. in Orat. Cic. in Pisonem.*

Ut ejus convivium, qui triumpharet in Capitolio, videtur esse proprium, ut ipse potius domum cœnatus reduceretur a convivio. *Non. Cœnatus.*

Pædius Pætus cum esset Prætor urbanus, & sedens in sella curuli jus diceret populo, picus martius advolavit, atque in capite ejus assedit. *Non. Picumnus.*

Quod humatus non sit, heredi porca præcidanea suscipienda Telluri, & Cereri, aliter familia pura non est. *Non. Præcidanea.*

Ibi a muliere, quæ optima voce esset, perquam laudari: deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides, eorum qui ludis Troicis cursitassent. Hæc mulier vocitata olim Præfica, usque ad Punicum bellum. *Idem, Nænia.*

Ut dum supra terram esset, ricinis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ. *Non. Pullus.*

Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, demisso sequerentur. *Non. Antracinus.*

Supervacuum. *Non. Supervacuum pro supevacaneo.*

Plebisque scito cautum, ne qui legaret causave

mortis donaret ſupra aſſes mille. *L. Calpurn. Piſo. lib. II De continentia Veterum Poetarum.*

Quo facilius animadvertatur, per omnes articulos populi, hanc mali gangrænam ſanguinolentam permeaſſe. *Non. Gangræna.*

LIB. IV.

*

Cum Pœnus in fretum obviam veniſſet noſtris, & quoſdam cœpiſſet, crudeliſſime pro palangis carinis ſubjecerat, quo metu debilitaret noſtros. *Non. Palangæ, fuſtes.*

In ſpem adducebat, non plus ſoluturos, quam vellent: iniquus equeſtri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, diſcordiarum civilium fontem. *Non. Biceps.*

Itaque multis civibus ex utraque parte ſauciis, multis occiſis fugatur. *Non. Saucii.*

Ita hujus belli horribilis finis facta. *Non. Finis feminino genere.*

E Græcia, Aſia, Italicas in villas comportaſſe magnum pondus omnium artificum. *Idem, Pondus pro numero.*

Tanta porro invaſit cupiditas honorum pleriſque, ut vel cælum ruere, dummodo Magiſtratus adipiſcantur, exoptent. *Idem, Caſus pro caſu.*

Itaque propter amorem imperii, magiſtratus gravatim ſeditionibus ſanguinolentis aut dominatus quo appellarunt. *Non. Sanguinolentum.*

Si modo civili concordia exſequi rationem parent: rumores, famam differant licebit; nos quoque carpant. *Non. Differre, diffamare. Divulgare.*

Quod Curio, cum id feciſſet, dicebat amicis, ut illis renuntiaretur, ſe obſtringillaturum ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret Conſul. *Idem, Obſtrigillare, obſtare. Loquitur autem Varro de Cæſare.*

Neque id cæci Conſules feciſſent, quæ mandata arcana T. Ampio dediſſent, aut dividi Centum Cn. Magnum. *Idem, Cæcus pro improvido.*

Itaque rettulit auri pondo mille octingentûm ſeptuaginta quinque. *Idem, Pondo mille octingentûm.*

Cæſar reverſionem fecit, ne poſt occipitium in Hiſpania exercitus qui erant, relinqueret: quo ſe conjiceret Pompejus, ut ancipiti urgeretur bello. *Idem, Anceps.*

Ipſa Italiæ oppida ſunt vaſtata, quæ prius erant hominum referta. *Idem, Caſus pro caſu.*

Eoque pecuniam magnam conſumſiſſet, quod arci, quos ſummo opere fecerat, ſeſſi pondere, diu facti, celeriter corruiſſent. *Non. Arci.*

Tunicas neque capitia, neque ſtrophia, neque zonas. *Idem, Capitia, capitum tegmina.*

Neque id ab orbita matrum familias inſtituti, quod eæ pectore & lacertis erant apertis, nec capitia haberent. *Non. ibidem. ſed ex libro ſecundo.*

INCERTI LIBRI.

Itaque hoc ab ore dicitur oſculum: tum a ſuavitate ſuavium, quod ſimile ſit ſuavitati. *Nonius, Oſculum & ſuavium.*

Sedes dictæ, quod apud veteres Romanos non erat uſus accumbendi: unde & Conſedere diceban-

tur. poſtea viri diſcumbere cœperunt, mulieres ſedere; quia turpis viſus eſt in muliere accubitus. *Servius in Virgilium.*

M. TERENTII VARRONIS DE REBUS URBANIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

Spartaco innocente conjecto. *Soſip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS DE SCÆNICIS ORIGINIBUS

LIB. I.

Cum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ ſunt intra portam Collinam & Eſquilinam, de cælo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos XV viri adiſſent: renuntiarunt, uti Diti Patri & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur, utique ludi centeſimo quoque anno fierent. *Cenſorinus de die Natali.*

Sub Ruminali ficu. *Soſip. lib. I.*

Matres familiæ. *Soſip. ibidem.*

LIB. II.

*

Appio Claudio Pulchro Ædile. *Soſip.*

LIB. III.

Ubi compitus erat aliquis. *Non. Compitus.*

Vetere vino. *Sosip. lib. I.*
Hunc calamistrum. *Idem.*

INCERTI LIBRI.

*

Scæna, quæ fiebat, aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat; Ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ videbatur interior. *Servius in lib. III Georgic. ut scena inversis discedat frontibus, utque purpurea intexti tollant aulæa Britanni.*

M. TERENTII VARRONIS DE ACTIONIBUS SCÆNICIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Galearia. *Sosip. lib. I. Galearia, unde & Galericula dicuntur.*

LIB. III.

*

Multifarium in patellis coquere cæpe. *Ibidem. Priscianus lib. VII.*
Vetere vino. *Ibidem.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

Imberbi juvenes. *Sosip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
THEATRALES LIBRI.

*

Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quaſi in eam partem, qua cernimus. unde & pueri, quos in ludis videmus, ea parte, qua cernunt ſtantes, cernui vocantur. *Serv. in X Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS
DE FAMILIIS TROJANIS
LIBRI.

*

Nautes Romam Palladium detulit. unde Nautiorum familia Minervæ ſacra retinebat. *Servius in V Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS
TRICIPITINA.

*

M. TERENTII VARRONIS
ANNALES.

*

Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt. is quatuor ſcripulis major fuit, quam nunc is eſt. *Soſip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
EPHEMERIS.

*

Poſtea honoris virtutum cauſa Julii Cæſaris, qui faſtus correxit, menſis Julius appellatus eſt. *Priſc. lib. VI, Faſtus.*

Navali Etesiæ diutius & uberius flaverant, & auctumnum ventōsum fuerat. *Non. Auctumnus neutro genere.*

M. TERENTII VARRONIS AD LIBONEM LIB. I.

*

Terentinæ nuces a Terento, quod est Sabinorum lingua molle, unde Terentios quoque dictos putat. *Macrob. lib. III.*

M. TERENTII VARRONIS MENSURALIA.

*

Insio. *Prisc. lib. X.*

M. TERENTII VARRONIS GALLUS FUNDANIUS

DE MIRIS SEU DE ADMIRANDIS.

*

Perdicas Bœotios. *Non. Perdix, masc. genere.*

Infria Seni papaverem. *Idem, Papaver masculino genere.*

Magnum mendum. *Sosip. lib. I.*

In silva mea est glis nullus. *Ibidem.*

Erichtonium primum quatuor junxisse equos; ludis, qui Panathenæa appellantur. *Serv. & Philarg. in III Georgicorum.*

Templorum fabricator Æacus. *Arnobius lib. VI. Quorum (templorum,) si quæris audire, quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur, aut ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus.*

Secundo de ſtativis aquis, ut ſunt lacus, & ſtagna, & putea, & maria. *Non. Puteus maſc. & neut. gen.*

In mare aquam oriri. *Soſip. lib. I.*

Inter Italiam & Siciliam, qui eſt fretus inter Rhegium & Meſſanam. *Non. Fretum & Fretus.*

Vinum, quod ibi natum ſit in quodam loco, ſi prægnans biberit, fieri ut aboriatur. *Idem, Aboriatur, pro abortiat.*

In Sicilia quoque manu capi murænas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent. *Macrob. lib. III Saturn.*

M. TERENTII VARRONIS
ÆTIA.

Fax ex ſpina alba præfertur, quod purgationis cauſa adhibetur. *Soſip. lib. I. Spinus, ab hac ſpinu.*

Ideo faces præire, quod antea non niſi per noctem nubentes ducebantur a ſponſis, quas etiam ideo limen non tangere, ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcent rem Veſtæ, id eſt, nomini caſtiſſimo conſecratam. *Serv. in VIII Eclogam.*

Spargendarum nucum hanc eſſe rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona ſit ſicut Juno: nam nuces in tutela ſunt Jovis, unde juglandes vocantur, quaſi Jovis glandes. *Idem.*

Omnem majorum honorem dexterarum conſtetiſſe virtute. Ob quam rem ſe in ſalutationibus hac venerabantur corporis parte. *Idem lib. I Æneid.*

Herbam do, id eſt, cedo victoriam, proverbium

inde natum, quod tum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur, & fatetur esse meliorem. *Serv. VIII Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS POLYANDRIA.

*

M. TERENTII VARRONIS DE LITORALIBUS LIBER.

*

Etiam suis temporibus sepulcrum Jovis in Ida monte visitatum. *Solin. in Polyhist.*

M. TERENTII VARRONIS DE ÆSTUARIIS LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS TRIBUUM LIBRI.

*

M. TERENTII VARRONIS HEBDOMADUM VEL DE IMAGINIBUS LIB. I.

Septenarii numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes potestatesque multas variasque dicit. Is namque numerus (inquit) Septemtriones

majores minoresque facit in cælo, item Vergilias, quas πλειάδας vocant. Facit etiam stellas, quas alii erraticas, P. Nigidius errones appellat. Circulos quoque ait in cælo circum longitudinem axis septem esse; e quîs duos minimos, qui axem extimum tangunt, πόλους appellari dicit: sed eos in sphæra, quæ κρικώτη vocatur, propter brevitatem non inesse. Atque neque Zodiacus septenario numero caret: nam in septimo signo fit solstitium a bruma, in septimo bruma a solstitio, in septimo æquinoctium ab æquinoctio. Dies deinde illos, quibus halcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dicit. Præterea scribit, lunæ curriculum confici integrum quater septenis diebus: nam duodetricesimo die luna ex quo vestigio profecta est, eodem redit, auctoremque opinionis hujus Aristidem esse Samium. In qua re non id solum animadverti debere dicit, quod quater septenis, id est, octo & viginti diebus conficeret iter luna suum, sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus, dum ad semet ipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumque se addat, facit numerum octo & viginti: quot dies sunt curriculi lunaris.

Ad homines quoque nascendos vim numeri istius porrigi pertinereque ait: nam cum in uterum mulieris genitale (inquit) semen datum est, primis septem diebus conglobatur coagulaturque, fitque ad capiendam figuram idoneum: post deinde quarta hebdomada, quod ejus virile fœtus futurum est, caput & spina, quæ est in dorso, informatur: septi-

ma autem fere hebdomade, id eſt, nono & quadrageſimo die, totus, inquit, homo in utero abſolvitur.

Illam quoque vim numeri hujus obſervatam refert, quod ante menſem ſeptimum, neque maſculus neque femina ſalubriter ac ſecundum naturam naſci poteſt: quod hi, qui juſtiſſime in utero ſunt, poſt ducentos ſeptuaginta tres dies poſtquam ſunt concepti, quadrageſima demum hebdomade ita naſcuntur.

Pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, graviſſima quæque fieri affirmat ſeptenariis. Præter hæc, modum eſſe dicit ſummum adoleſcendi humani corporis, ſeptem pedes. Dentes quoque & in ſeptem primis menſibus, & ſeptenos ex utraque parte gigni ait, & cadere annis ſeptenis, & genuinos naſci annis fere bis ſeptenis.

Venas etiam in hominibus, vel potius arterias, Medicos muſicos dicere ait numero moveri ſeptenario, quod ipſi appellant *τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν*, quæ fit in collatione quaternarii numeri.

Diſcrimina etiam periculorum in morbis, majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero ſeptenarii: eoſque dies omnium maxime, ita ut medici appellant, *κριτικοὺς ἢ κρισιμοὺς* cuique videri, primam hebdomadam, & ſecundam, & tertiam. nec non id etiam eſſe ad vim facultateſque ejus numeri augendi, quod, quibus inedia mori conſilium eſt, ſeptimo demum die mortem oppetunt.

Septem opera eſſe in orbe terrarum miranda, & Sapientes item veteres ſeptem fuiſſe, & curricula ludorum Circenſium ſolemnia ſeptem eſſe: ad oppugnandas Thebas duces ſeptem electos. tum ibi addit, ſe quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe, & ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum conſcripſiſſe: ex quibus aliquos jam diu, cum proſcriptus eſſet, direptis bibliothecis ſuis non comparuiſſe. *Gell. lib. III, cap. 10.*

Homerus an Heſiodus natus prior ſit parum conſtare dicit, ſed non eſſe dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint: idque ex Epigrammate oſtendit, quod in tripode ſcriptum eſt, qui in monte Helicone ab Heſiodo poſitus traditur:

Ἡσίοδος μούσαις ἑλικωνίσι τὸν δ᾽ ἀνέθηκεν
Ὕμνῳ νικήσας ἐν χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat, Quod illi letæ mortuo faciunt ſacra. *Ibid. lib. III, c. 11.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

LIB. VIII.

*

LIB. IX.

*

A vulgu condemnaretur. *Sosip. lib. I.*

INCERTI LIBRI.

*

Hic Demetrius est natus. Quot luces habet annus absolutus. *Non. Luces numero plurali.*

M. TERENTII VARRONIS DE POETIS

LIB. I.

Nævium stipendia fecisse bello Punico primo, idque ipsum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit. *A. Gell. lib. XVII, c. 21.*

M. Cethego & P. Tuditano Coss. ut in veteribus commentariis scriptum est, Nævius est mortuus: quamquam Varro putat in hoc erratum, vitamque Nævii producit longius. *Cicero in Bruto.*

Claudium & Tuditanum Coss. sequuntur Q. Valerius & C. Mamilius, quibus natum esse Q. Ennium poetam, eumque, cum septimum & sexagesimum annum ageret, duodecimum Annalem scripsisse; idque ipsum Ennium in eodem libro dicere. *Gell. lib. XVII, cap. 21.*

Postquam est morte datus Plautus, Comœdia luget,
Scena est deserta, hinc ludus, risusque, jocusque,
Et numeri innumeri simul omnes collacrimarunt.
Idem lib. I, cap. 24.

Deinde ad Siculos ſe applicavit. *Priſc. lib. IX. Applico, applicavi.*

LIB. II.

*

INCERTI LIBRI.

*

Et tamen non demolio aſtra. *Diomed. lib. I. Demolio.*

M. TERENTII VARRONIS

DE BIBLIOTHECIS

LIB. I.

*

Glutine & cinere refecit. *Soſip. lib. I.*

LIB. II.

*

Vectigaliorum. *Soſip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DE VITA SUA

LIBER.

*

Hujus Serapis. Hujus Iſis. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS

SATYRÆ MENIPPEÆ.

ABORIGINES

Περὶ ἀνθρώπων φύσεως.

*

Mugit bos, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat. *Non. Pipare.*

Grunnit tepido lacte ſatur,
Mola mactatus porcus. *Non. Grunnire.*

Sed neque vetulus Cantherius, quam novellus melior, nec canitudini comes virtus. *Non. Canitudo.*

Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum & sigillorum veniebat. *Non. Pupæ.*

Sublimes speribus natato maria,
Volitantes altos montes trudito. *Non. Speribus pro spebus, sperem pro spem.* Alii: *Ita sublim. sp. jactato Nominativo volitantis altos nitens trudito.*

AGATHO.

*

Quid tristiorem video te esse? num angit hæc,
Lampadion? ecquid familiaris filius
Amat? nec spes est auxilii argentarii,
Ideoque scapulæ metuunt virgdemiam. *Non. Virgindemia.*

Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures obturant. *Non. Redurare, id est aperire. Item in Obscœnus.*

Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores nostri virginis acerbæ aures, Veneris vocabulis imbui noluerunt. *Non. in Acerbum. Imbuere.*

Num nam cælatus in manu dextra scyphus,
Cælo dolitus, artem ostentat Mentoris? *Non. in Cælare, & in Dolitus pro dolatus.*

Et pueri in ædibus sæpius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt. *Non. in Suspicere.*

Neque auro, aut genere, aut multiplici scientia Sufflatus, quærit Socratis vestigia. *Non. in Sufflatus pro tumidus.*

Quid multa? factus sum vespertilio, neque in

muribus plane, neque in volucribus ſum. *Non. in Veſpertilio.*

Hæc poſtquam dixit, cedit citus, celſus tolutim. *Non. Tolutim pro volutim.*

Δοῦλος Ἔρως ἐςί. Qui meritat, hominem & ſervum facit. *Non. in Meret.*

AGE MODO.

*

Argo citiremem. *Soſip. lib. I.*

Ænea. *Ibidem. Ænea ſine S.*

Terra culturæ cauſa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuſcis, Samnium Sabellis. *Philarg. in II Georgicorum.*

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ.

*

Gravidaque mater peperit Jovi puellum. *Priſc. lib. VI.*

Herculem eundem eſſe ac Martem. *Macrob. lib. III, cap. 11.*

ANDABATÆ.

*

Non mirum, ſi cæcutis. minus aurum enim non præſtringit oculos, quam τὸ σοῦ κέγχνος. *Non. Perſtringere, valde ſtringere & claudere.*

Ædepol idem cæcus non luſcioſus eſt. *Idem, Luſcioſi.*

Mortales multi rurſus ac prorſus meant. *Idem, Rurſus, retro.*

In reliquo corpore ab hoc fonte diffuſa eſt ani-

ma. Hinc animus ad intelligentiam tributus. *Idem, Animus & Anima.*

Anima ut conclusa in vesica, quando est arte ligata, si perculeris, aera reddit. *Idem, Aer.*

Candidum lacte papilla cum fluit, signum putant partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor. *Idem, Lacte pro lac, & partuis pro partus.*

Alterum appellamus a calendo calorem; alterum a fervore febrim. *Idem, Febris.* Alii: *Aperiendam putat idque alterum. sed tria priora verba Nonii sunt, non Varronis.*

Et me Juppiter Olympiæ, Minervæ Athenis suis mystagogis vindicassent. *Non. Vindicare.*

Nec manus visco tenaci tinxerat, viri casta. *Non. Castum.*

Sed quod hæc sola aliquid genunt. *Prisc. lib. X.*

Sed quidvis potius, o homo, quam caruncula nostra. *Prisc. lib. VI.*

ΑΜΜΟΝ ΜΕΤΡΕΙΣ

Περὶ φιλαργυρίας.

*

Etenim quibus seges præbeat domum, escam potionem quid desideremus. *Non. Seges.*

Quæro ex te, utrum hoc adduxerit cæli temperatura, an terræ bonitas? *Non. Temperatura pro temperie.*

Nos barbari quod innocentes in gabalum suffigimus homines, vos non barbari, quod noxios absolvitis? *Non. Gabalum pro cruce.*

Quem sequuntur cum rotundis velites leves par-

mis, Antesignani quadratis multis insignibus tecti. *Non. Veles. item Antesignanus.*

ΑΝΘΡΩΠΟΥΡΓΙΑ

Περὶ γενεθλιῶν.

Doti dato insulam Chium, agrum Cæcubum, Seplasia Capuæ, macellum Romuli. *Non. Seplasium.*

Et Hymenæus, qui primo lavere alvum marsupio solet. *Non. Lavere.*

Vulgoque avarus fenerator, spe lucri, rem scriptione duplicarat. *Non. Scriptione, pro scriptura.*

Non fit thesauris, non auro pectus solutum:
Non animis demunt curas ac relligiones,
Persarum montes, non divitis atria Crassi.
Nonius in Relligio.

Anthropopuli. Non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, murrhinam, passum, defrutum. *Non. Murrhina.*

Ne dares, ne polliceres, quod datum. *Nonius, Pollicere pro polliceris.*

ARMORUM JUDICIUM.

*

Ille viros hortari, ut rixarent præclari Philosophi. *Non. Rixarent, pro rixarentur.*

Ut in litore cancri digitis primoribus stare. *Non. in Primores.*

BAJÆ.

*

Quod non solum innubæ fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, & multi pueri puellascunt. *Non. in Puellascere, pro effeminari.*

BIMARGUS

Περὶ τρόπου· vel τρόπων τρόπους.

*

Cum Quintipor Clodius tot Comœdias ſine ulla fecerit Muſa: ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius? *Non. Edolare.*

Fuga hoſtium Græce vocatur τροπή· hinc ſpolia capta fixa in ſtipitibus, appellantur tropæa. *Non. Tropæum.*

Socius es hoſtis, cum ſociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas. *Non. Bellum.*

In invidiam veniant hoc ipſo rapinatores. *Non. Rapinatores.*

Non Hercules potes, qui agebas, ſed conopron. *Non. Agere, gerere.*

Ut novum cribrum novo paxillo pendeat. *Non. Paxillus.*

Nautæ remivagam movent celocem. *Non. Celox.*

Non te pudet, Mani, cum domi tuæ vides commilitonum cohortes, ſervis tuis miniſtrare cæmenta? *Non. Cæmenta.*

Τρόπων τρόπους, quæ non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnes Heroas negat neſciſſe. *Non. Negativæ duæ &c.*

Ebrius es, Marce, Odyſſeam enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων ſcripturum te ſerio receperis. *Non. Recipere, promittere, & ruminatur.*

Cohortes coquorum atque hamiotarum, aucupumque. *Non. Hamiotæ.*

Vulcanum necdum novæ lagenæ ollarum frangantur, ter precatur. *Non. Vel olla.*

Tunc repente cælitum altum tonitribus templum tonefcit. *Non. Tonefcit.*

Et pater Divûm, trifulcum fulmen, igni fervido, aftutum mittat in tholum macelli. *Non. Sulcus.*

Magna ut tremifcat Roma, & magnæ mandonum gulæ. *Non. Manducones.*

Cum noviffime mitteret, quantum fumti fecerit. *Non. Sumti pro fumtus.*

Avi & atavi noftri, cum allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. *Non. Cæpe. Gen. Neutr.*

Quod utrum fit magnum an parvum, facul an difficul. *Non. Facul, pro faciliter.*

Κατάκρισις. Eft enim vera caufa, in candelabro pendet ftrigilis. *Non. Strigilis.*

Levis tippula linifici frigidos tranfit lacus. *Non. Tippula.*

Scena quem fenem Latina vidit diriffimum. *Non. Diriffimum.*

Ipfum propter vix liberti femiatri exfequiantur. *Non. Exfequiantur.*

Nos ergo nihil egimus, quod legem Lucaniam, luci claro latam, fcutulavimus. *Nonius, Lux Mafc. generis.*

Mihique divitum, ftilo noftro papyrino levii fcapos, capitio novo, partu poetico. *Non. Scapum.*

Nec me pedatus verfuum tardor.
Refrenet arte cum prytimum certum.
Nonius, Tarditas Mafc. genere.

Ipfe fiftis dicite Labde;
Et vivos contemnite vivi:

Anticipate atque addite calcar,
Stultos contemnite docti. *Non. Anticipare, pro prævenire. Alii ad Margapolim referunt.*

CAPRINUM PRŒLIUM

Περὶ ἔριδος, vel περὶ μέθης, vel περὶ ἡδονῆς.

*

Ne vobis censeam, si ad me referretis. *Nonius; Censeam pro succenseam.*

Unam virtutem propriam mortalibus fecit,
Cetera promiscam voluit communia haberi.
Nonius in Proprium.

Non posses eam amplius perferre, tamen suadet, ut notat. *Non. in Ferre pro pati. Editio Henrici Stephani in Fragmentis Poetarum, legit:* Captivos prædones non &c. *male: scribendum fuerat, Caprinum* περὶ ἡδονῆς. *Imperiti librorum exscriptores ex his duabus græcis vocibus, fecerunt unam latinam,* prædones: *ex* Capri *fecerunt* captivos.

CAVE CANEM.

*

Ubi rivus præcipitatur in nemore, deorsum rapitur, atque offensus aliquo a scopulo lapidioso, albicatur. *Non. Albicatur.*

CÆ I.

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Gallica porta carros accurat uſque politos. *Non. Carri Maſc. genere.*

Clariſſim. Scaliger in Comment. in Catalecta, laudans hunc locum, titulum Satyræ fecit, Ἀεὶ λιβύη· *& ſcribendum putat,* Gallica petorita, carros, adcerras, Tuſca pilenta.

COLUMNA HERCULIS

Περὶ δόξης.

*

Itaque eas in ceram conſcribillavit, Herculis ad litem. *Non. Conſcribillavit pro conſcripſit.*

COSMOTORINE

Περὶ φθορᾶς κόσμου.

*

Propter cunam capulum poſitum nutrix tradit pollinctori. *Non. Pollinct. & Capul.*

Mulieres aliam cerneres cùm ſtola holoſerica. *Non. in Stola.*

Singulos lectos ſtratos ubi habuimus, amiſimus propter cariem & tineam. *Non. Caries.*

Phrygio qui polvinar poterat pingere, ſoliarde vigebat. *Non. Phrygiones.*

Toga tracta eſt, & abolla data eſt ad turbam; ubi fera militia munera belli ut præſtarem. *Non. Abolla.*

Africa terribilis contra concurrere ibus:
Atque Æneæ miſceri ſanguine ſanguen.
Non. in Sanguis.

Atque Ægeus fluctus, quam lavit ante aquilo:

Sævus ubi posuit Neptuni filius urbem.
Non. Lavit pro lavat.

Detis habenas animæ leni,
Dum ventus vos flamine sudo,
Suavem ad patriam perducit.
Nonius, Anima pro vento.

CRAS CREDO. HODIE NIHIL.

*

Quibus instabilis animus, ardens mutabiliter havet habere, & non habere, fastidiliter, inconstanti pectore. *Non. Fastidiliter.*

Atque ut igni fervido, medullitus aquiloniam intus servat frigedinem. *Non. in Medullitus & frigedo.*

CYGNUS
Περὶ ταφῆς.

*

Tua templa ad alta, Phani, properans citius itere. *Non. Itere pro itinere. Forsan frustra est Nonius, & legendum* bitere.

Denique si vestimenta ei opus sunt, quæ fers, cur conscindis? si opus non sunt, cur fers? *Non. Nominativus pro ablativo.*

Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcipit ut comburerentur, quam Democritus, qui ut melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possimus. *Non. in Vulgus.*

CYNICUS.

*

Si me Hercule purgant, & Deorum cura non

ſatisfacitur Reipublicæ. *Priſc. Satisfacitur, pro ſatisfit.*

SYNISTOR.

Eclipſis quando fit, cur luna laboret. Et ſi hoc ridicule credunt, dicant, quid laborant. *Jun. Phylar. in II Georgic.*

DESULTORIUS

Περὶ τρυφῆς σὺν ἀλίοις.

*

Fervere piratis, vaſtarique omnia circum. *Non. in Fervere, penultima correpta.*

Domini delicias faſelo nactum tonſili remo vilem flictam ſolvit. *Non. in Faſelus.*

Henr. Steph. legit: In aliis Domini &c. *Sed duo priora verba ſunt titulus Satyræ.*

DE SALUTE.

*

Mundum haud natum eſſe neque mori. *Phylar. In II Georgic.*

DE OFFICIO MARITI.

*

Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum eſt: Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat, Qui fert, ſeſe meliorem facit. *A. Gell. lib. I, cap. 17.*

ΔΙΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΙ ΓΕΡΟΝΤΕΣ.

*

Purum putum. *A. Gell. lib. VI, cap. 5.*

DOLIUM, AUT SERIA.

*

Mundus domus eſt maxima homulli.
Quam quinque altitonæ fragmine zonæ

Cingunt, per quam limbus pictus bis ſex ſignis Stellimicantibus, altus in obliquo æthere, Lunæ Bigas Soliſque receptat Poſthumi, cui ſeplaſia fœtet. *Probus Grammaticus in Eclog. 6.*

Vocatur a cælatura Cælum, Græce ab ornatu κόσμος. Latine a puritie Mundus. *Plinius lib. II, c. 4.*

ENDYMION.

*

Qui vigilare mature cœpiſti, in eo te retinueris. *Non. Maturum.* Alii: *Qui ſi ut vigilantem matura.*

Ut Mercurium Arcadum colonum. *Non. Colere.*

Animum mitto ſpeculatum toto orbe, uti
Quid facerent homines, cum experrecti ſient,
Me faceret certiorem; ſi quis melius
Operam ſumeret, ut ejus conſilio potius
Vigilium adminicularem noſtrum: qui videt
Alium curvantem extrema noctis tempora.
Non. Vigiliæ.

Sic vos citius opinionibus ventilabundus miſer decidi. *Non. Opinio.*

Divitum apothecas Chias ad communem revocat matellam. *Non. Matella. Quidam ἀποχὰς Chias, amphoras Chias.*

Quare ſi in ſomnum recideris, & οὐδέποτε eris iterum exporrectus. *Non. Exporrectum, extentum. Q. quæ res.* Alii: *Quæ re ſi in ſomnium recid.*

Diſcumbimus muſſati, Dominus maturo ovo cœnam committit. *Non. Committere & Dominus.*

Dum ſermone cœnulam variamus. Interea tenuit bene tempeſtate ſerena. *Non. Tempeſtas.*

ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ

Ἐν δέ τισι περὶ ἐπιταφίων.

Donec foras nos intus evallaverunt. *Non. Evallare pro excludere.*

Pleni libri, inquam, ubi maneant capeti eorum: quoniam in sepulcris nec vola nec vestigium exstat. *Non. Vola.*

ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ ΜΥΡΟΝ,

Περὶ εὐτελείας.

*

Nec multinummus piscis ex salo captus
Elops: neque ostrea ulla magna captata
Quivit palatum suscitare.
Non. Ostrea genere feminino.

Ac tum quidem ut faciat censeo, quoniam tu quoque adolescentiaris. *Non. Adolescentiari.*

Legendo & scribendo vitam procudito. *Non. Procudere.*

EST MODUS MATULÆ

Περὶ μέθης,

*

Vino nihil jucundius quisquam bibit.
Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt,
Hoc hilaritatis dulce seminarium,
Hoc continet coagulum convivia.
Non. Coagulum.

Cupas vinarias sirpare noli, adde cyathum vini in uxorculæ opicillum. *Non. Cupæ.*

Non vides ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana: & tamen

tum ipſi illi Libero ſimpuvio vinitari? *Non. Simpuvium.*

Dolia atque apothecas tricliniares, melicas Calenas, obbas, & Cumanos calices. *Non. Obba.*

Quis in omni vita helio πισπο olfacit temetum. *Non. Temulenta.*

Iſmenias hic Thebogenes fluit ſcaturex. *Nonius, Scaturex.*

ΕΥΡΕΝ Η ΛΟΠΑΣ ΤΟ ΠΩΜΑ

Περὶ τῶν μοκιτίων καθηκόντων.

*

Ita ut ſoliti eramus Romæ in balneis, plodere cepimus & murmurari. *Non. Murmurari.*

Ego unus ſcilicet antiquorum hominum ſubductis ſuperciliis dicam ταμιεῖον συνέχων. *Nonius, Subducere.*

Cujus ubi annis multis, maſculini veſtigium inventum eſt. *Non. de Doctorum Indagine.*

EUMENIDES.

*

Ego autem, qui eſſem plenus vini & Veneris. *Non. De Numeris & Caſibus.*

Stolam calceoſque muliebres propter poſitos capio. *Non. Capio.*

En demum præter Matris Deûm ædem exaudio cymbalorum ſonitum. *Non. Præter, pro ante vel per.*

Cum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo, qui dum (eſſena hora, nam ad latera) imponeret ædilis ſignoſiæ, & Deam gallantes vario retinebant ſtudio. *Non. Gallare.*

Ubi vident, ſe cantando ex ara excantare non poſſe, deripere incipiunt. *Non. Excantare.*

Puditatem an pudorem Gallûm cœpit mihi videri. *Non. Gallum, pro Gallorum.*

Nam quæ venuſtas hic adeſt gallantibus?
Quæ caſta ætas? quæ veſtis adoleſcentium?
Quæ teneris ſpecies? *Non. Gallare, Caſtum, Species.*

Contra cum pſaltria & cum Flora lurcare adſtrepis. *Non. Lurcones.*

Propter crepas vocibus, volitans aures volgi. *Non. Crepare.*

Quin mihi caperatam tuam frontem, Strobile, omittis. *Non. Caperare.*

Apage in dierectum a domo noſtra iſtam inſaniam. *Non. Dierecti. Inſanitas.*

Vix vulgus confluit non furiarum, ſed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes, opinionem mihi inſaniæ meæ confirmant. *Non. Pueri, pro ſervis. Item, Atrum. Item, Opinio. Item Vix.*

Forenſes decernunt, ut exiſtimatio nomen meum in inſanorum numerum referat. *Nonius, Decernere. Item, Referre.*

Nam ut arquatis & veternoſis lutea quæ non ſunt, æque ut lutea videntur: ſic inſanis ſani, & furioſis eſſe videntur inſani. *Non. Arquatus & Luteus.*

Sed nos ſimulac ſummam in ſpeculam pervenimus,
Videmus populum furiis incinctum tribus,
Diverſum ferri, exterritum formidine.
Non. Specula, Exterritum.

Tertia Pœnarum Infamia,
Stans nexa in volgi pectore,
Fluctuanti, intonſa coma,
Sordido veſtitu, ore ſevero. *Non. Severum.*

Simulac languido corpore Solis calidior viſa eſt aura. *Non. Aura.*

Ut Najades undicolæ. *Non. Colere.*

Diſcumbimus muſſati &c. *Vide in Endymione. Non. Maturum.*

Patella eſurienti poſita provocat Neapolitanas piſcinas. *Non. Patella.*

Dum ſermone cœnulam &c. *Vide in Endymione.*

Quod ea die mea erat præbitio, in januam *Cave Canem* inſcribi jubeo. *Non. Præbitio.*

Cum in eo eſſem occupatus, atque in ſchola curarem, inſcribit Scantius *Horno per Dionyſia. Nonius, Hornum, Occupatus.*

Quid dubitatis utrum nunc ſitis Cercopitheci, An colubræ, an beluæ, an de albu cibus labus Athenis? *Non. Coluber & colubra.*

Item Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem ſuperficies accedebat. *Non. Gibberum.*

— — — — — — — Neque
Furentem eculeum Damacrinus inſanus equiſo,
Exhibebis morbi fluctibus educit unquam.
Nonius, Eculeus, Equiſo.

Maximum cædit ferro, ſed cædere Ulyſſem,
Cum baccas ſilvam cædit, porcoſque trucidat.
Nonius, Cædere.

Tu non inſanis, quod tibi vino corpus corrumpis mero? *Non. Merum.*

— — — denique avarus
Quis ſanus? cui ſi ſtet terra, & traditur orbis,
Furando tamen & morbo ſtimulatus eodem,
Ex ſeſe ipſe aliquid quærat, cogatque peculi.
Nonius, Stare & Cogere.

Capite operto eſſe jubet, ante lucem ſuſcitat, ſrigore torret, venatum ejicit jejuno villicum. *Non. Apertum, Torrere.*

Ex his atque hujuſmodi inſtitutis ac vita, vel ad Herculis, athletæ facti erant. *Non. Vel pro etiam.*

Quod tum quæſtus trichinus erat, nunc eſt uber. *Non. Tricinum, tardum.*

Auroræ auſtrinum hic indutus ſupparum
Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit,
Luce locum afficiens. *Nonius de Doctorum Indagine. & Supparum, & Oſtrinum.*

Partum venuſta muliebri ornat ſtola. *Non. Stola.*

Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum. *Non. Blitum, pro olere.*

Poſtremo nemo ægrotus quidquam ſomniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philoſophus.
Non. Infans.

Ego medicina a Serapi utor: quotidie precantur.
Intellego recte ſcriptum eſſe Delphis
ΘΕΩ ΕΡΑ. *Non. Precari.*

Hoſpes quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quaſi non curet tantidem Ariſtoteles.
Non. Miras, pro miraris.

Aut ambos mira aut noli mirare de me, de eodem. *Non. ibidem.*

Primum iſte, qui meret ſeſtertios vicenos. *Non. Meret.*

Quia plus, inquit, merere debet, in quo eſt virtus. *Non. Meret, pro meretur.*

Propter eam porticum ſitum erat dolium. *Non. Propter.*

Priuſquam reſponderem, foras neſcio quis occupat res indicare. *Non. Occupare.*

Et ecce de improviſo ad nos accedit cana Veritas, Atticæ Philoſophiæ alumna. *Nonius, Canum, vetus. & Alumnus.*

Ubi dicatur primus Zenon novam hæreſin novo paxillo ſuſpendiſſe. *Non. Paxillus.*

In ſomnis venit, jubet me cepam eſſe, & veſci cuminum. *Non. Cepe, neut. genere.*

Nunc de te, inquit, meliuſculam ſpem habeo, qui rem ſpurciſſimam guſtare nolueris. *Non. Spurcum.*

Phrygios peroſa cornus, liquida canit anima. *Non. Anima, Liquidum.*

Nunc corius ulmum tuus depuvit: pergis hera? *Non. Corius, maſc. gen.*

Tibi tympana non inani ſonitu Matris Deûm
Tonimus: tibinos modos, tibi nunc ſemiviri
Teretem comam volantem jactamus tibi Galli.
Non. Tonimus, Tibinos, Jactare.

Et ceteris Scholaſticis auribus ſcholica dape, atque ebriis feſtice ἀπεραντολογία, conſurgia conſurgimus, jejunis oculis. *Non. Ebrii & Jejuni.*

ΕΧΩ ΣΕ

Περὶ τύχης. vel Νόμοι.

*

Tela dextra vibrant, ruſſatis emicant, atque
Inſignibus Martis: torques aureæ & ſcuta
Cælata Ibero argento gravi crebra fulgent.
Non. Torquis.
— — ærea
Terta nitet galea. *Non. Terta, pro terſa.*
Teges, ruina ne jacentem ſub Deo
Albet, algu danti frigore. *Non. Algu, pro algore.*

Sapiens & bonum ferre poteſt modice, & malum fortiter ac leniter. *Non. Modicum.*

EXDEMEDRICUS.

*

Quadriga. *A. Gell. lib. XIX, cap. 8.*

ΕΩΣ ΠΟΤΕ

Περὶ ὁρῶν.

*

Vitæ curſum ut cognoſcere poſſem, & quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ. *Nonius, Exodium. Nomen hoc tractum ex Græco, quaſi ἔξω τῆς ὁδοῦ, extra viam.*

Non poſſe oſtrea ſe Romæ præbere & echinos. *Non. Oſtrea.*

Dentire. *Scalig. in Append. Virgil.*

FLEXIBULA

Περὶ ἐπαρχιῶν.

*

Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio. *Non. Compedes.*

Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti. Habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formoſula uxor. *Nonius*, *Strabones*, *Strabi*.

Nec dolorem ἀδιάφορον eſſe, quod philoſophia commalaxarem, me apathem: neque irato mihi habenas dedi unquam, neque cupiditati non impoſui frenos. *Non. Commalaxare, exercere, ac mature facere.*

Atque ſi addam, quanta miſericordia mea heredibus meis ſtet, quod miſeros ſublevaverim. *Non. Stare.*

Quid? tu non vides in vineis, quod tria pala habeant, Tripales dici? *Non. Palum, neutro genere.*

Quare, o Marce, pranſum ac paratum eſſe hoc minime oportet. *Non. Pranſi, quibus nihil deſit.*

GEMINI.

*

Contra lex Mænia eſt in pietate, ne filii patribus luci claro ſugillent oculos. *Non. Sugillent, pro occludant.*

GERONTODIDASCALUS.

*

Utrum oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi ſervos in armis contra dominos? *Non. Cæcutiunt.*

Noctu cultro coquinario ſe trajecit. nondum enim ibi inventi erant cultelli Empeſtatiæ Bithynia. *Non. Culter.*

Non vides apud Ennium eſſe ſcriptum:
Ter ſub armis malim vitam cernere,
Quam ſemel modo parere. *Nonius*, *Cernere*, *Amittere.*

Rapta a nescio quo mulione, rapturis ramicis rumpit. *Non. Ramices, Pulmones, Hirnea.*

Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita, etiam nunc pinea fax indicat. *Non. Fax, pro face.*

Novus maritus taciturnus, taxim uxoris solvebat cingulum. *Non. Cingulum.*

Vehebatur enim cum uxore vehiculo: semel aut bis in anno, arcera. *Non. Arcera, plaustrum rusticum.*

Quoties priscus homo ac rusticus Romanus internundinum barbam radebat. *Non. Internundinum.*

Vel decem menses ubi una sepiant granaria,
Vineis ubi ampla cella torculum reponant,
In quibus Libyssa citrus fasciis cingit fores.
Ubi graves pascantur & alantur pavonum greges.
Non. Granaria, Torculum, Citrus & fasceæ, pro cortice, Pascere, Alere, Grave.

Candens corpore Taurus, trivio lumine Lunæ. *Non. Candet, id est, ignitum est, sed ex Satyra γνῶθι σεαυτὸν citatur.*

Ideo quod habeat satis, vix putant lautum. *Non. Lautum, pro abundanti & competenti.*

Sed simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur. *Nonius, Olla.*

Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos ærarios facere. *Non. Ærarius, mascul. genere.*

Manius Curius Consul in Capitolio cum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. *Non. Nebulones, Tenebriones.*

Ergo tum ſacræ, religioſæ, caſtæque fuerunt res omnes. *Non. Caſtum.*

Putas eos non citius Tricas Tellenas, quam id extricaturos? *Non. Tricæ.*

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

*

Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifera lampade arida agat amantes æſtuantes. *Nonius, Actum, Inſixum, Fœtum.*

Et rex & miſellus ille pauper amat, habetque ignem intus acrem: hic ephebitum mulieravit; hic ad me Decam adoleſcentem, cubiculum pudoris primus polluit. *Non. Mulieravit, Effeminavit.*

Age jam nunc contende alterum genus φιλοθεώρων, ne quid ibi videris melius.

Ut ſidera cæli divum, circum terram
Atque axem, quæ volvuntur motu orbico.
Non. Orbitum, per orbem.

Non ſubſilis ac plaudis, & ab Arato poſcis aſtricam coronam? quid enim hoc mirius? *Non. Mirius, magis mirum, & Poſcere pro accipere.*

— — — ut crementa
Corpora fierent majora
Parva ut ſuctu candida lactis. *Non. Suctu.*
— — — Dein certe alvi
Fluctu, ficum ut pararet manſum,
Quo venarum ſanguine rivos
Compleret — — —
Nihil ſunt Muſæ pollicis, quas ærifice duxti.
Non. Ducere.

Nonne non unum ſcribunt eſſe grandibus ſuperciliis Silonem, quadratum? quod Silenus hirſutis ſuperciliis fingeretur? *Non. Silones.*

Non animadvertis, cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, adſcendere in malum alto, ut penitus per aquam perſpiciant piſces? *Nonius in Cetarii.*

Qui ſunt ſecundum naturam perfecti homines, ut non modo eos ſpectemus, ſed etiam imitemur. *Non. Spectare, pro probare.*

HECATOMBE

Περὶ θυσιῶν.

*

Luto fluens ſub Sardibus flumen tulit
Aurum, later quod conquadravit regius. *Non. Later.*

At Regis enſis ſanguine imbutus nigro. *Nonius, Imbuere.*

Pater ut cruore laveret terrarum aggeres. *Non. Lavit, pro lavat.*

Ubi illa phalera gemmeaque ephippia,
Et arma margarito candicantia.
Nonius, Margaritum, genere neutro.

Socrates cum in vinculis publicis eſſet, & jam bibiſſet κώνειον in exodio vitæ. *Nonius, Exodium, finis.*

Mea igitur Hecatombe pura & puta. *Nonius in Putus.*

Habes, qui, & cujus rei cauſa fecerim hecatomben: in quo ego, ut puto, quoniam eſt Luere ſolvere, Lutavi. *Non. Lutavi, pro lui.*

HERCULES TUAM FIDEM.

*

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum
Tutanus; hoc Tutanus Romæ nuncupor.
Hac propter omnes, qui laborant, invocant.
Non. Tutanus.

Non Tutilinam, quam ego ipse invoco, quod meæ aures abs te obsidentur. *Non. Tutilina Dea.*

Per maritimas oras vagat, suffragantur. *Nonius, Vagat, pro vagatur.*

Procella frigida ante obruat celocem. *Nonius, Celox, navigium breve dictum a celeritudine.*

HERCULES SOCRATICUS.

*

Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis. *Non. Sutrinæ a suendo.*

In omnibus rebus bonis, quotidianus cubo. in Sardinianis tapetibus, chlamyda, sed purpurea amicula. *Non. Tapete, tegmen unice tectum de coloribus variis, & Chlamys.*

HIPPOCYON.

*

Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat. *Non. Excuriari.*

Equites quosdam dicit pedarios appellatos. *Gell. lib. III, cap. 18.*

IDEM ACCI QUOD TITI.

*

Quid est? quid blateras, quid rabis, quid vis tibi? *Non. Rabere.*

KENOΔOΞIA περὶ φθόνου.

*

Vosque in theatro, qui voluptatem auribus;
Huc aucupatum concurristis domo,
Adeste, & a me quæ feram innoscite,
Domum ut feratis e theatro literas.
Non. Ignoscite, pro noscite vel discite.

LEX MÆNIA.

*

Exercebam ambulando, ut cibi capacior ad cœnam veniret guttur. *Non. Guttur, mascul. genere.*

Nos admirantes, quod sereno lumine tonuisset, oculis cæli rimare plagas. *Non. Plaga & Rimari.*

Ab biviram venio: cum vellem ostendere, quid vellem, metamelos inconstantiæ filius me repræhendit. *Non. Bivira, Vidua.*

Si qui patria majorem parentem exstinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit. *Id. Eunuchare.*

Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suat saliat equulam. *Non. Equila, equa.*

Neque in bona segete nullum esse spicum nequam, neque in mala, non aliquod bonum. *Non. Spicum.*

Non hos Pactolus aureas undas agens,
Eripiet unquam e miseriis. *Non. Agere.*

Signata sacra esse dixerunt, postquam homines sunt facti. *Non. Sacrum.*

LOGOMACHIA.

*

Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicareque homulum. *Non. Tunicare, Veſtire.*

LONGE FUGIT QUI SUOS FUGIT.

*

Solus Rex, ſolus Rhetor, ſolus formoſus, fortis, ſecus, vel ad ædilitium, modius, purus putus: ſi ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave attigeris hominem. *Non. Convenire, ſimilem eſſe.*

Sed ut is erat hæc legumina, arte parva, pauca, cicer, ervillam ac paregia, alia, ſpiria ceteris. *Non. Ervum.*

MAGNUM TALENTUM.

*

Detotonderat forcipibus viticapiferis. *Priſc. in Detondere.*

MANIUS.

*

Funere familiari commoto avito ac patrito more precabamur. *Non. Patritum, Avitum.*

Ager derelinqueretur ac periret ſquale, ſcabieque, illuvie, & vaſtitudine. *Non. Illuvies, Scabres, Vaſteſco, Squalor.*

Quod dum adminiſtrant in ſcrobe fodiendo, inveniunt arcam. *Non. Scrobes, maſc. genere.*

Tum ad me fuerunt, quod libellionem eſſe ſciebant. *Non. Libellio.*

Manius mane ſuſcitat nos, tum in roſtra adfert,

populum in forum conducit. *Nonius*, *Conducere*, *Convocare.*

Nec natus eſt, nec morietur, viget, veget ut pote plurimum. *Non. Veget, pro vegetat.*

Vinicius meus, quod apud Plotium Rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit. *Non. in Bubulcitare.*

Hic in quadrato latere ſtipatæ ſtrues. *Non. Later.*

Harum ædium ſumma atria confutabant architectones. *Non. Confutare, pro confundere.*

Hæc adventoribus accedunt, cella, claves, clauſtra, carnaria, dolia. *Non. Dolia.*

Habens antepoſitam alimoniam,
Sedens altus alieno ſumtu,
Neque poſt reſpiciens, neque ante proſpiciens,
Sed limus intra limites culinæ. *Non. Limus*, *Libellio*, *Altum ab alendo*, *Proſpicere.*

Sternit juvencus, quem labos mollem fecit. *Non. Vapor*, *vapos. Labor*, *labos.*

Hunc Cereris cibi miniſtra frugibus ſuis porcet. *Non. Porcet*, *prohibet.*

Tum eum, ad quem veniunt in hoſpitium, lac humanum fellaſſe. *Non. Fellare.*

Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapo bene molli. *Nonius*, *Amphitapæ veſtes utrinque molles.*

Lecto ſtrato matellam, ceteras res hujus, ubique præ ſe portant. *Non. Matella.*

Lex neque innocenti propter inimicitiam obſtrigillat: neque nocenti propter amicitiam ignoſcit. *Non. Obſtrigillare.*

Quocirca oportet bonum civem legibus parere, & Deos colere: in patellam dare μικρὸν κρέας. *Nonius, Patella.*

Non maledicere, pedem in focum non imponere: non maledicere, ſacrificari. *Non. Sacrificantur, pro ſacrificant.*

Et cum corrigias diruptas tenet, aridum reliquum pedem penula ſcortea protegere. *Non. Penula, omne quod tegit.*

Dulcem aquam bibat ſalubrem, & flebile cepe. *Non. Cepe.*

Nec ſumtibus lepidus ſtatues finemque modumque. *Non. Luxuria, maſcul. gen.*

MARCIPOR.

*

Quidquid evidenter circumſtant, non vident; Credo ridere hiantes: video hiantes, non audio. *Non. Hiare, id eſt aperiri.*

Hic in ambivio navem conſcendimus paluſtrem, quam nautici equiſones per viam ducerent, loco. *Non. Equiſo, pro equite.*

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer fervidis late ignibus,
Cæli choreas aſtricas oſtenderet,
Nubes aquales frigido velo leves,
Cæli cavernas aureas ſubduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus,
Ventique frigido ſe ab axe eruperant
Phrenetici, Septemtrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, ſiros.

At nos caduci naufragi, ut ciconiæ,
Quarum bipennis fulminis plumas vapos
Perussit alte, mæsti in terram cecidimus. *Non. Inferum. Syrus (id est) Scopæ, Bipennis, Meridies.*

Astrologi non sunt, qui conscribillarunt pingentes cælum. *Non. Conscribillare.*

Spatale eviravit omnes venerivaga pueros. *Non. Evirare.*

Dein mittit evirile veretrum in flumen: offendit buceam Volumnio. *Non. Offendere, percutere.*

Eodem conjecisse mera miracula, nescio quæ. *Non. Merum, solum.*

Hæccine nobis terne tudiculasse? *Non. Tudiculare, pro commovere.*

Regi Medeam advectam per aera in rheda anguibus. *Non. Rheda, pro curru.*

Peliam Medeæ permisisse, ut se vel vivum deglubere, dummodo daret puellum. *Non. Puelli, Pueri.*

Delime, bipennis, ut levis passerculus. *Nonius, Bipennis.*

Propontis unda, quem liquenti cærulo
Natantem perfundit, cape. *Non. Capere. Complecti.*

Utrum sunt majores pueri, hi pusilli nigri, qui exspectant nundinum, ut magister dimittat lusus. *Non. Lusus vel Lusio, pro ludus. Item Nundinæ.*

Altera exorat patrem libram ocellatorum,
Altera virum semodium margaritarum.
Non. Margaritum.

Et Diogenes qui amicos, qui ab Alexandro rege jussus optare quid vellet, se facturum. *Non. Optare.*

Ut eat ac rempublicam adminiſtret, quod pulli jentent. *Non. Jentare.*

MÆONIUS AUTUMEDUS.

*

Meus quod apud Plotium Rhetorem bubulcitare, alteri dolori defuit. *Non. Bubulcitare.*

MARGOPOLIS
Περὶ ἀρχῆς.

*

Cui Celer, dienos lemmatos logos,
Antipatri Stoici filius rutro
Caput diſplanat. — *Non. Rutrum.*

Senſus poetæ, venæ hydragogiæ, cloaca inteſtini. *Non. Inteſtinum, maſc. genere. Perſuadeo mihi, omnino ita legendum eſſe:* Senſus, portæ, venæ, hydragogia, cloaca, inteſtini. *nimirum cenſet, ſenſus eſſe portas quaſdam, & naturæ (ut ita dicam) commeacula, venas hydragogiorum, canaliumque rationem obtinere: inteſtina vero pro cloaca eſſe corpori. Quidam ex Bimarco petita putant.*

Nam in humanis omnia ſunt paria.
Qui pote plus urget, piſces ut ſæpe minutos
Magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.
Non. Comeſt, pro comedit.

— — — — — — — nemini
Fortuna currum a carcere intimo miſſum, levi
Inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſivit.
Non. Calx, gen. fem.

Senſiſtis dicite labdæ,
Vivos contemnite vivi:

Anticipate, atque addite calcar,
Stultos contemnite docti. *Non. Anticipare.*

Nocticulam tollo, ad focum fero, inflo, anima revivifcit. *Non. Anima. Quidam, Noctu lucam* (id eſt) *bovem tollo. Alii, Noctilugum.*

MELEAGER.

*

Funus exſequiati laute, ad ſepulcrum antiquo more ſilicernium confecimus, id eſt περίδειπνον, in quo pranſi diſcedentes dicimus alius alii Vale. *Nonius, Silicernium.*

Quid hic venator non cepit? quem idcirco terra non cepit & cælum recepit. *Non. Capere & recipere.*

Adde hydram Lernæam & draconem Heſperidum, quod beſtiæ fuerunt immanes. *Non. Immane.*

Si non malit vir viratiam uxorem habere Atalantam. *Non. Viratium, id eſt, magnarum virium.*

Currere, vigilare, eſurire, quando hæc facere oportet, quam ad finem. *Non. Finis, gen. fem.*

Quæro, utrum fructuis an delectationis cauſa? fructuis, ut vendatis. *Non. Fructuis, pro fructus.*

Sin autem delectationis cauſa venamini, quanto ſatius eſt ſalvis cruribus in Circo ſpectare, quam his deſcobinatis in ſilva currere? *Non. Deſcobinati, id eſt ſaucii.*

Non modo ſuris apertis, ſed pæne natibus apertis ambulans. *Non. Apertum.*

Cum etiam Thais Menandria tunicam demiſſam habeat ad talos. *Non. Demiſſum. Item, Tunica.*

Aut ille cervum qui volabile currens

Sparo ſecutus, tragulave trajicit.
Non. Tragula, id eſt, haſta & ſparum.

MODIUS.

*

Quæro meas lubidines ad tibias bilinguo. *Non. Tibia, genere maſc.*

Sed, o Petrulle, ne meum taxis librum,
Si te pepigat hic modi ſcenatilis.
Sin diſplicebit tam tibi latum mare,
Para, vis quantam ſpongiam deletilem.
Non. Scenatilis, Taxis, Deletile.

Capitis coronæ vaccitis liveis
Face, ut languore flatili viridis premat.
Non. Preſſum, id eſt tectum.

Quis poculis argenteum chorum introibit? popino. *Non. Popinones, id eſt tabernarii.*

Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtivi, ſaperdæ, cum ſimus σάπροι. *Non. Saperdæ, id eſt ſapientes.*

Qui tum erant in Græcia coma promiſſa, raſa barba, pallia trahentes. *Non. in Promittere.*

Sed Cynicis involucrum, & palleum luteum non eſt. *Non. Luteus.*

Quam iſtorum, quorum vitreæ togæ oſtentant tunicæ clavos. *Nonius, Vitreum pro perlucido. Item, Tunica.*

Et hoc intereſt inter Epicurum & ganeones noſtros, quibus modulus eſt vitæ culina. *Non. Colilina, pro coquina. Item, Ganeones.*

In cubiculo dormire mallem, ſcilicet potius vi-

num meum cibarium, quam ego dominus cubarem. *Non. Cibarium.*

Putat fore, quod hinc comedonibus convenit usu : quibus mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet. *Non. Comedones.*

Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapatio & ptisana possum. *Non. Lapatium.*

Trimodiam amphoramque eandem, temeti ac farris modium. *Non. Temulenta.*

Asse vinum, asse pulmentarium, sed edas, quo natura aurigatur, non necessitudo. *Non. Aurigatur, pro moderatur.*

An qui gradu tolutili, te melius quam tute molliter vectus cito relinquat ? *Non. Gradarius.*

Quid aliud est, quod Delphice canat columna literis suis μηδὲν ἄγαν, quam nos facere ad mortalem modum medioxume, ut quondam patres nostri loquebantur. *Non. Medioximum.*

Non eos optime vixisse, qui diutissime, sed qui modestissime. *Non. Modestum.*

MUTUUM MULI SCABUNT.

Περὶ ψωρισμοῦ· vel
Περὶ ἀφορισμοῦ· vel
Περὶ ἀγορασμοῦ· vel
Περὶ χωρισμοῦ.

Ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus. *Nonius, Aptus.*

Itaque si plures dies inter medici discessum & adventum pollinctoris interfuerunt, & id æstate videas. *Non. Pollinctores.*

Ut venalem tuniculam poneret quotidie, ut videret totum: denique etiam ſuis manibus lanea tracta miniſtraſſet infectori. *Non. Tractus, genere neutro.*

Grallatores, qui gradiuntur grallis. Perticæ ligneæ ab homine iſto, qui inſtat, agitantur. Sic illi animi noſtri ſunt: grallæ crura ac pedes noſtri, ex ſe *ἀκίνητοὶ,* ſed ab animo moventur. *Non. Grallatores.*

MYSTAGOGI.

*

Semoneque inferius derelicto,
Deum depinnato attollam orationis eloquio.
Fulgentius de Antiquo ſermone in Semones.

MYSTERIA.

*

Priſca horrida ſilent oracula, crepera in nemoribus. *Non. Creperum, id eſt dubium.*

Æs defraudaſſe cauponem, bonam luto obleviſſe, tum portitores æra indire. *Non. Portitores.*

Licet videre multos quotidie hieme in Sole apricari. *Non. Apricari.*

Sed tibi fortaſſis alius molit, & depſit. *Nonius, Depſere.*

In id virgo dos a femina ut auferatur; quæ mihi poſteaquam ad concordiam dicta eſt. *Non. Dicere, id eſt promittere.*

Naſcimur enim ſpiſſius, quam emorimur. Vix duo homines decem menſibus edolatum unum reddunt puerum: contra, una peſtilentia, hoſtica. acies puncto temporis immanes acervos facit. *Nonius, Spiſſum.*

Vulpinare modo & concurſa, qua lubet errans. *Non. Vulpinare.*

NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.

*

Dicit autem convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum, id eſt, proficiſci a tribus, & conſiſtere in novem: ut cum pauciſſimi convivæ ſunt, non pauciores ſint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem. Nam multos eſſe non convenit, quod turba plerumque eſt turbulenta, * * * * ut Romæ quidem conſtat, ſed & Athenis. Nuſquam autem plures cubabant.

Ipſum deinde convivium conſtat, inquit, ex rebus quatuor, & tum denique omnibus ſuis numeris abſolutum eſt, ſi belli homunculi collecti ſunt, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Nec loquaces autem, inquit, convivas, nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro & apud ſubſellia; ſilentium vero non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet. Sermones igitur id temporis habendos cenſet, non ſuper rebus anxiis ac tortuoſis, ſed jucundos & invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profecto, inquit, eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium. Dominum autem, inquit, convivii eſſe oportet, non tam lautum, quam ſine ſordibus. *A. Gell. lib. XIII, cap. 11.*

In convivio legi nec omnia debent, & ea potiſſimum, quæ ſunt βιωφελῆ, & delectant potius, ut id quoque videatur non ſuperfuiſſe. *Ibidem. Verba poſt* delectant *deſunt in multis codicibus.*

Bellaria ea maxime ſunt mellita, quæ mellita non ſunt: πέμμασιν enim cum πέψει ſocietas infida. *Ibidem.*

OCTOGESIS

Περὶ νομισμάτων.

*

Poſtquam avida libido rapere ac concidere cœpit, ſeque opificio non probiter ſtrepere. *Non. in Probiter & Clepere.*

Hoc erat incommodi, quod neſciebamus, ſemel unum ſingulum eſſe. *Non. Singulum, pro ſingulari.*

In quo nobilius eſt Philippeum quod accipimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in veſicam. *Non. Bulga.*

Non hæc res de Venere pæta ſtrabam facit ἑτεροφθάλμιον. *Priſcian. libro VI.*

Vive, meque ama mutuiter. *Nonius, Mutuiter, pro mutuo.*

ŒDIPOTHYESTES.

*

Per idem tempus Œdipus Athenas exſul venire dicebatur, qui conſolaret. *Non. Conſolare.*

ΟΝΟΣ ΛΥΡΑΣ.

*

Si quis melodinis ſit Ὄνος λύρας,
Præſepibus ſe retineat forenſibus,

Quibus ſuam delectet ipſe amaſiam,
Et aviditatem ſperibus lactet ſuis.
Non. Præſepia, Lactare, Sperem.

Phonicia ſum, vocis ſuſcitabulum:
Cantantiumque gallus gallinaceus.
Non. Suſcitabulum, id eſt incitamentum.

Atque orthopallica attulit Pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria.
Qui fabularum collocant exordia
Ut Comici, Cinædici, Scenatici.
Non. Dicteria, quaſi dicta non ſeria, Scenaticus.

Quam mobilem Divum lyram Sol Harmege
Quadam gubernans, motibus diis veget.
Non. Diis pro diutinis, & Veget pro vegetat.

Homines ruſticos in vindemia incondita cantare, ſarcinatrices in machinis. *Non. Sarcinatricis.*

Et id dicunt ſuam Briſeidem producere, quæ ejus nervias tractare ſolebat. *Nonius, Nervia, genere neut.*

Inflet priuſquam tibias in Orcheſtra
Domi ſuæ Pithaula ramices rumpis. *Non. Ramices.*

Sæpe totius theatri tibiis crebro flectendo commutari mentes, frigi animos eorum. *Non. Frigere.*

Voces Amphionem tragœdum; jubeas Amphionis agere partes, infantiorem, quam meus eſt mulio. *Non. Infans.*

Tuus autem ipſe frater cibarius fuit Ariſtoxenus. *Non. Cibarium.*

Pacuvius diſcipulis dicor. Porro is fuit Ennius: Muſarum Pompilius clueo. *Non. Cluere.*

Scientia doceat, quemadmodum in psalterio tendamus nervias. *Non. Nervia, pro nervo.*

Primum eam esse Physicen, quod sit ἔμφυτος, ut ipsa vox basis ejus. *Non. Bases.*

Merentis ut quietus ac demissior probandus
Ἄξια ὡς ἡρωϊκὸς, Ἰονικός, κίναιδος.
Non. Cinædus.

Non vidisti simulacrum Leonis ad Idam eo loco, ubi quondam subito eum cum viderent quadrupedem, Galli tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manibus. *Non. Mansues, pro mansueto.*

Equi colore dispares item nati, hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Non. Badius.*

Jurgare cœpit dicens, Quæ facis, atque in vulgum vulgas. *Non. Vulgus.*

Nempe sues silvaticos in montibus sectari venabulo, aut cervos. *Non. Venabulum.*

Acerbus, qui tibi nihil mali fecit, verutis ob artem præclaram. *Non. Verutum, telum breve.*

Si non plus testiculorum offenderis, quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem. *Non. Masculum, pro forti.*

Valete, meque palmulis producite. *Non. Producere.*

ΠΑΠΙΑΣ ΠΑΠΠΟΣ
Περὶ ἐγκωμίων.

*

Hoc Græcis renuntiato, ut facile intelligeres, nos ab his armari: commurmurantur. *Non. Murmurari, pro murmurare.*

Ante aures modo ex subolibus, parvoli
Intorti demittuntur sex cincinnoli:

Oculi ſuppætuli, nigellis pupulis,
Quandam hilaritatem ſignificantes animi,
Quos calliblepharo naturali palpebræ
Tinctæ vallatos mobili ſepto tenent
Rictus * parviſſimus
Ore frenato, riſu roſeo *
Sigilla in mento impreſſa amoris digitulo
Veſtigio demonſtrant mollitudinem,
Collum procerum, fictum levi marmore
Regillam tunicam diffingitur purpura.
Non. Mollitudo, Palpebræ, Rictus, Regilla veſtis.

Quare reſident lingulacæ, obtrectatores tui jam nunc murmurantes dicunt : *μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται. Non. Lingulacæ.*

Omni obſtant in miniſterio invidum tabes. *Non. Caſus pro caſu.*

Dominum convivii, vinum, aliudve quid ni laudato. *Non. Dominus.*

Si & accuſator & reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato. *Non. Nebulones & Tenebriones.*

Prætor noſter eripuit mihi pecuniam, de ea queſtum ad annum veniam ad novum Magiſtratum, cum hic rapo umbram quoque ſpei devoraſſet. *Nonius, Rapones.*

Ille ales Gallus, qui ſuſcitabat Atticarum Muſarum ſcriptores, an hic qui gregem rabularum. *Nonius, Rabulæ.*

Dum vixi promis carus, meis in cortibus pavi. *Non. Cortes.*

Imperito nonnunquam concha videtur
Margarita, ut Amethyſtus Smaragdos.
Non. Margarita.

Qui poteſt laus videri vera? cum motus ſæpe
Furaces ciemus, atque nequiſſimus ibis
Juxta ac Publius Africanus.
Non. Juxta, pro rurſum, ſimiliter.

PARMENIO.

*

Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. *Non. Micare.*

Pudet me tui & Muſarum agnoſcere, piget currere & una ſequi. *Non. Pudet.*

Demittis acres pectore curas, cantu caſtaque poeſi. *Non. Acre & caſtum.*

Exeunt citi, ſtrepunt, bount. *Nonius, Bount, a boum mugitibus.*

Ceditur lucus; alta frons decidit Palladis, Platanus ramis: alia trabes pronis in humum accidens, proxime frangit ramos cadens. Alius teneram abietem ſolus percellit; alius caballum arboris ramo in humili alligatum relinquit, ferens ferream humero bipennem ſecurim. *Non. Frons, Trabs, Pronus, Procellere, Caballus, Bipennis.*

Cedit velocius juvenis, membris levis, nitidus oleo. *Non. Cedunt, petunt.*

Lepuſculi timentes hoc quadrangulum,
Dedit Diana rete nexile, arcyas
Viſcum, ſagenam, lineamque compedem.
Non. Compedes & Viſcum.

E cavo fonte, ut cum irrigavit cavata aurium anfracta in silvam vocans. *Non. Anfractum, neutro genere.*

Poema est λέξις εὔρυθμος, id est, verba plura modice in quandam conjecta formam. Itaque etiam Distichon Epigrammation vocant poema: Poesis est perpetuum argumentum, e rhythmis, ut Ilias Homeri, & Annales Ennii. Poetice est ars earum rerum. *Non. Poema.*

Pari hujus nascuntur puri rhythmus & melos. *Non. Melos, gen. masculino.*

In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesi Terentius, in sermonibus Plautus. *Non. Poscere, pro accipere. Vide A. Gell. lib. XV, cap. 24.*

ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ VEL ΑΕΙ ΛΙΒΥΗ.

*

Neque in polvere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora ac famem ventris. *Non. Satullem, pro saturem.*

Porro inde ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, e quibus singulæ extumæ exitum ac telos habent proprium. Primo compito dextimam viam munit Epicurus. *Prisc. lib. IV. Non. Dextimus.*

Tum contremula aquilenta apud alta litora Oriris, ac nobilis omnibus reluces. *Non. Nobile.*

ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.

*

Pavus e Samo, Phrygia Attagena,
Grues Melitæ, hædus ex Ambracia,

Pelamis Chalcedonius, muræna Tarteſſia,
Aſelli Peſcinuntii, oſtrea Tarentina,
Pectunculus Chius, helops Rhodius,
Scari Cilices, nuces Thaſiæ,
Palma Ægyptia, glans Iberica.
A. Gell. lib. VII, cap. 21.

Si quantum operæ ſumſiſti, ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam Philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jampridem eſſes factus. Nunc illum, qui norunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centuſſis. *Idem lib. XV, c. 19.*

ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.

*

Quod puer rogaſſet, & petaſatus capite annuiſſet, ac diſcedens, numero ait venire adoleſcentem. *Non. Numerus.*

Quam ſympathiam lumbi ad oculos haberent, quid inguinum intereſſet, puerum utrum eſſem devirginatum uſurus, an monuce ῥώσας purus dum cogito. *Non. Virgines.*

Quemnam te eſſe dicam? feram qui manu corporis fervidos aperis lacus ſanguinis, teque vita levas ferreo enſe. *Non. Levare, pro minuere.*

Non vituperamus, cum ſciamus digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium ventura. *Non. Gangræna.*

Et quærit ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum? Quia Romanis, inquit, Pruſiades me tradere volebat. *Non. Medicamentum.*

Andromeda vincta, & propoſita ceto, non de-

buit patri ſuo homini ſtupidiſſimo in os exſpuere vitam. *Non. Stupidus.*

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.

*

Cognitio enim tonitrus fulget, & tonitrum fulguris a fulmine orta. *Non. Fulgura.*

Majores ſolitos decumam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent, populumque ἀσύμβολον cum corona laurea demitterent. *Non. Calidum.*

PLUTORINE.

*

Scriptulum, *Soſip. lib. I.*

PRANSUS PARATUS.

*

— — — Luna exſpectante
Adria ſeſe itiner longum ſermone levare.
Nonius, Itiner.

Contra coactus cervus latratu canum
Fertur, biſulcis ungulis, nitens humu,
Ne ſe videant. *Non. Humu, pro humo.*

PSEUDOLUS APOLLO.

Περὶ θεῶν ἀπαντήσεως· vel
Περὶ θεῶν ἀναγνώσεως.

*

Quod in ejus Dei templo calceati introeunt: nam in oppido quæ eſt ædes Apollinis, & qui ibi ad Herculis introeat, nemo ſe excalcietur. *Non. Exalceatur, pro exalceat.*

Cum ſex pueri, & puellæ pariter ſex aut ſeptem ſinuero: quæ cum choro pari vagarunt. *Non. Vagas, pro vagaris.*

PSEUDONEA.

*

Per æviternam hominum domum Tellurem propero gradum. *Priſc. lib. II.*

QUINQUATRIA.

*

Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticum contenderit. *Non. Contendere.*

Hic bipenſiles forcipes dentarpagæ. *Non. Dentarpagæ.*

Quid medico mihi eſt opus? nempe tuo, abſynthium uti bibam gravem, & caſtoreum, levemque robur. *Non. Abſynthium, & Grave pro amaro.*

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem,
De fronde Bromiæ auctumnitatis uvidam,
Quam lympha melius e lacuna fontium
Allata, nido potili permiſceat. *Non. Auctumnitas.*

An hoc præſtat Herophilus Diogene, quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te jactas? at hoc pacto utilior te Tuſcus aquilex. *Non. Aquilex.*

Quam in teſtudineo lecto, culcita plumea in die dormire. *Non. Culcita.*

Tu Phædi contra audes dicere, cum in eborato lecto, & purpurei operis toro cubare videas ægrotum, & ejus prius album, quam typen ſubducere malis. *Non. Turdus, maſc. gen.*

SARDI VENALES.

*

Non te tui ſaltem pudet, ſi nihil mei revereatur. *Non. de Numeris & caſibus.*

ΣΚΙΟΜΑΧΙΑ vel ΚΡΙΟΜΑΧΙΑ

Περὶ τύφου.

Te Anna perenna, panda καὶ λατὰ, Pales,
Neriones & Minerva, Fortuna ac Ceres.
Gell. lib. XIII, cap. 21.

Vinum, pemma Lucuns, nihil adjuvat iſta miniſtrat. *Non. Lucuns.*

Ego, inquit, eam ſuppetias. Tunc mihi nec res, nec ratio eſt, diſſociaque omnia ac neſantia. *Non. Neſantia, pro neſanda.*

Hoc dico, compendiaria, ſine ulla ſollicitudine ac moleſtia dicundi, ad eandem voluptatem poſſe perveniri. *Non. Compendium.*

Poſtremo quæro, parebis legibus an non?
Anne exlex ſolus vives? *Non. Illex, Exlex.*

SERRANUS

Περὶ ἀρχαιρεσιῶν.

*

Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod auctumnitas in anni tetrachordio menſium præterierat. *Non. Auctumnitas, pro auctumno.*

Dum in agro ſtudioſius ruror, adſpicio Triptolemum ſculponeatum bigas ſequi cornutas. *Non. Rurant, pro ruſticantur.*

Occipitium Arivo Deo oſtendo, ex oraculo elimino me. *Non. Eliminare.*

Te conſulem mihi pelum cedere, ſubſilio, & ho-

ſtias extiſpici diſputanti relinquo. *Non. Extiſpices, Haruſpices.*

Noſter Atticus, rivalis homo, iturus in curiam, commaceſcebat. *Non. Macor, pro macie.*

Hunc vocaſſe de liquida vita, in Curiæ veſtræ fæcem. *Non. Liquidum, id eſt, purum.*

Cum dixiſſet Vitulus, ecce caldis pedibus quidam navicularius ſemiuſtulatus irrupit ſe in curiam. *Non. Calidum, citatum & velox.*

Dormit alius nimirum, vigilant, clamant, calent, rixant. *Non. Rixare, pro rixari.*

Roſtrum in protrudendum ceſſerent. *Nonius in Roſtrum.*

Et petere imperium populi, & contendere honores. *Non. Contendere, extorquere.*

SESQUI ULYSSES.

*

Navibus duodecim domo profectum, decem annos ſolidos erraſſe. *Non. Solidum, pro continuo.*

Suſpendit Laribus marinis molles pilas, reticula ac ſtrophia. *Non. Strophium, faſcia brevis, & Reticulum, tegmen capitis.*

Vias ſtelligeras ætheris explicans,
Ære cavo ſonitum hic in cothurnis.
Nonius, Explicare.

Hic enim omnia erat, idem ſacerdos, prætor, parochus, denique idem ſenatus, idem populi caput. *Non. Parochus.*

In Theſpiadum ora derepente. *Non. Derepente.*

Ubi nitidi Ephebi veste pulla candidi, modeste amictus pascunt pectore. *Non. Pullum.*

Pueri dum comitesque tenent strata gelo putri montium laxa. *Non. Gelo, pro gelu.*

Ubi educantur barbari innumerabiles lateres aureos habuisse. *Idem Later.*

Quo cum ire vellemus, obvius flare, ubi corpori ærinas compedes impositas video. *Non. Compedes.*

Omnes irritans ventos, omnesque procellas, ipsum audivi. *Non. Irritare, provocare.*

Vino invitari, poculis large atque benigne. *Non. Invitare.*

Ventus sub occasum vehementius sufflare, & calcar admovere. *Non. Calcar, pro impetu.*

— — — adversi venti ciciderunt.
Quod si pergunt diutius mare volvere, vereor,
Ne me quoque, cum domum ab Ilio cessim revertero,
Præter album canem cognoscat nemo.

Non. Album pro miti ac placido, & Cognoscere.

Ubi quod lupam alumni fellarunt olim. *Non. Alumni.*

Quod Minerva propter stetit, significare eum propter doctrinam. *Non. Propter.*

Diogenem postea pallium solum habuisse, & habere Ulyssem meram tunicam, pileum ideo non habere. *Non. Meram, pro solam.*

Unam enim viam Zenona mœnisse, duce virtute: hanc esse nobilem: alteram Carneadem desubulasse, bona corporis secutum. *Non. Desubulare, pro perfodere.*

Alteram viam deformasse Carneadem, virtutis, e cupis acri aceti. *Non. Capa vel Cupa.*

Itaque tum equum mordacem calcitronem horridus miles ac vir non vitabat. Nunc emunt trossuli, nardo nitidi, vulgo Attico talento equum. *Non. Trossuli & Calcitrones.*

In castris permansi, inde caballum reduxi ad Censorem. *Non. Caballus.*

Quid enim est, quod homo masculus libentius videre debeat, quam bellam uxorem? *Non. Bellum, pro eleganti.*

Qui se in ganeum accensum conjecit amicæ. *Non. Ganeum, neutro genere.*

Jugere volitans milvius, aquam nubibus. Tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat. *Non. Tegillum a tecto. Vel sic :*

In aere volitans milvus, aquam e nubibus Tortam indicat fore, tegillum ut pastor sibi sumat. *Senarii sunt, quorum lectionem hanc esse germanam judico, conjectura ductus literata. Imbris autem prognosticon continent.*

SEXAGESIS.

*

Eo uti viaticum ex arcula adderem in bulgam. *Non. Bulga.*

Nec quassagipennas anates termipedas buxeis rostris pecudes, paludibus nocte nigra ad lumina lampadis sequens. *Non. Pecudes.*

Adest fax involuta incendio. *Non. Involutum, occupatum.*

Se circumſpexe atque inveniſſe, cum dormire cœpiſſet, tam glaber quam Socrates calvum eſſe factum ericium pilis albis cum proboſcide. *Non. Proboſcis & Eritium.*

— — — ut nitens
Pavonis collus, nihil extrinſecus humens.
Non. Collus, maſc. gen.

Sic canis fit e catello, ſic e tritico ſpica. *Non. Spica.*

Romam regreſſus ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, cum primum dormire cœpi, reliqui. *Non. Offendere, invenire.*

In quarum locum ſubierunt inquilinæ impietas, perfidia, impudicitia, impudentia. *Nonius, Subire, ſuccedere.*

An ſi equam emiſſes quadrupedem, ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſſem dediſſes æquimenti? *Non. Æquimentum, non Æquámentum.*

Avidus judex reum ducebat eſſe κοινὸν hoc modo. *Non. Ducere, id eſt, exiſtimare.*

Quod leges jubent non faciunt, δὸς καὶ λάβε fervit omnino. *Non. Fervit, pro fervet.*

Sumtum comitia habebant, ubi nunc fit mercatus. *Non. Mercatus.*

Tunc nuptiæ videbant oſtreas Lucrinas. *Non. Oſtreæ.*

Acciti ſumus ut depontaremur, murmur fit verus. *Non. Murmur, maſc. gen.*

Vix ecfactus erat, cum more majorum ultro carnales arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. *Non. Carnales.*

Sinibus crassis hui muli, non videmus quid fiat? *Non. Crassum, pro hebeti.*

Nunc quis patrem decem annorum natus, non modo aufert, sed tollit nisi veneno? *Non. Tollere & Auferre.*

O stulta nostri pectoris dormitio vigilabilis. *Non. Dormitio, & Puelli, pueri.*

Ultro intra pectus dormitio vigilabilis
Quæ me puellum impuberem cepisti. *Non. ibidem.*

Qui nobis ministrarunt pueri diebus festis cicer viride: qui nos provocare, advocare cum audeant, non illos revocare timemus? *Non. Revocare, per vices mutare.*

Ergo tum Romæ parce pureque pudentes
Vivere cum patria, nunc sumus in rutuba.
Non. Rutuba, perturbatio.

Erras (inquit) Marce, accusare nos ruminaris antiquitates. *Non. Ruminari.*

SYNISTOR.

*

Eclipsis quando fit, cur Luna laboret? & si hoc ridicule credunt, dicant quid laborent? *Philarg. in II Georgicorum.*

SYNEPHEBUS

Περὶ ἐμμονῆς.

*

Hodie si possumus, quod debemus, populo, in foro medio, luci claro decoquere. *Non. Lux, genere masculino.*

V 3

Quid te facere oportet, literis imbutum solis Minervæ. *Non. Imbuere, initiare.*

Hic narium seplasiæ, hic hedycus Neapolis. *Non. Seplasia, femin. genere.*

Verere, ne manu non mittat: cum octo medicarios honestos audissemus dare possis, mittet. quod si non mittet, fugies, si me audies, cum tempus revocat, ea præcox est fuga. *Non. Præcox, id est, præcoqua.*

Crede mihi, plures dominos servi comedere, quam canes. Quod si Actæon occupasset, & ipse prius suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret. *Non. Occupare.*

TANAQUIL.

*

Non modo absens quidquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. *Nonius, Ruminare, in memoriam revocare.*

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ.

*

In carteo stadio ἐπιταφίων lego, a quo qui certasset animo, bellus homo, magis delectatus Stoicorum pancratio, quam Athletarum. *Non. Bellum, pro eleganti.*

Ubi lubet, ire licet accubitum, accedo, strenuus: fussilimus, quod esurigo findebat costas. *Non. Esurigo, id est, fames.*

Inde putidas uvas acinis electis & comestis extendit in lectis quondam. *Non. Putidum.*

— — — — — ἡ ἀπάντησις.

Edones Romam? ut turba intendat annonam: ſed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, niſi volantem, non video. *Nonius, Edones & Phagones.*

Nec piſtorem ullum noſſent, niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam. *Nonius, Pinſere, tundere, molere.*

Perrexit in interiores partes domuis poſticæ, ut ait Plautus, penitiſſumæ. *Nonius, Poſtica, & Domuis pro domus.*

Quod cœperas modo in via narrare, ut ad exodium ducas. *Non. Exodium, id eſt, finis.*

Ille nobilis quondam canes
Hinc liquit omnes homines in terræ pila.
Non. Linquere, pro dimittere.

Diogenem literas ſciſſe, dum uſioni quod ſatis eſſet: hunc quod etiam acta bellorum hominum. *Non. Uſio pro uſu, & bellum pro eleganti aut prudenti.*

Romam ipſam in Narcoſi, cenon qui in orbe internundinum calumniarentur. *Non. Internundinum, nundinæ.*

Περὶ ἔχοντος ταριχείας. mihi facies mæandrata & vermiculata, atque etiam adeo cingens orbem terræ. *Non. Mæander, picturæ genus.*

Pavimenta & parietes cruſtati. *Non. Incruſtatum.*

Sed quæ neceſſitas te jubet aquam effundere domi tuæ, ſi vaſa habes pertuſa, plumbum non habes? ad quam rem nobis eſt confluvium? ad quam rem urnarium? In pavimento non audes facere lacunam, at in humu calceos facis elixos? *Nonius, Elixum, & Humu pro humo. Urnarium.*

Non vides in magnis periſtyliis, qui cryptas domi non habent, ſabulum jacere a pariete aut cryptis, ubi ambulare poſſint. *Non. Sabulum.*

Non vides in publica nocte te tabernas, qua populus ambulando perinde ut in arato porcas reddit. *Non. Porcæ.*

Aliquot Romæ ſunt, qui in cellas vinarias fructuis parant, ut vendant. *Non. Fructuis, pro fructus.*

Hæc Numa Pompilius fieri ſi viderit, ſciet ſuorum inſtitutorum nec volam nec veſtigium apparere. *Non. Vola, id eſt, media pars manus.*

Antiqui noſtri domibus lateritiis paululum modo lapidibus ſuffundatis, ut humorem effugerent, habitabant. *Non. Suffundatum, id eſt, ſubjectum.*

Ut hirundines figulis oblitis luto tegulas fingebant. *Non. Fingere.*

At in ſegetibus poſt meſſem colligebant ſtramenta, quis domicilia colerent. *Nonius, Colere, id eſt, ornare.*

Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricino palliolum ſimplex. *Non. Ricinium, palliolum femineum.*

Sed ut canis ſine coda. *Non. Coda.*

Saltem infernus tenebroſus κακοδαίμονας tenet, atque habet homines ſollicitos: quod eum pejus formidant, quam fullo ululam. *Non. Habere, id eſt, facere.*

TESTAMENTUM

Περὶ διαθήκων μετὰ φιλοφθονίας.

*

Venio nunc ad alterum genus teſtamenti, quod

dicitur Physicum, in quo Græci belliores, quam Romani nostri. *Non. Belliores, meliores.*

Sic ille puellus Veneris, repente vado cecidit cruentus olim. *Non. Puelli, pueri.*

Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto. Quod si quis undecimo mense κατ' Ἀριστοτέλην natus est, Accio idem quod Titio jus esto apud me. *A. Gell. lib. III, cap. 16.*

Natis quos Menippi hæresis nutricatur, & tutores do,
Qui rem Romanam Latiumque adsciscere vultis.
Non. Nutricatur, pro nutricat.

TITHONUS

Περὶ γήρως.

*

Quem dereliquit multicupida juvenilitas. *Non. Juvenilitas, juventus.*

Ac mammam lactis sugentem pascere puppum. *Non. Pupi.*

Qua voluntatem ævitatis extima attigit metam ævitas
Sic invitata matura anima, corporeum corticem facile relinquit. *Non. Cortex.*

Risi multum, lusi modice ambos. *Non. Modicum.*

ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ

Περὶ παιδοποιΐας.

*

Assanos multos quod parere ea non poterat, mulierem foras betere jussit. *Non. Betere, id est, ire.*

Liberos parare cui necesse sit, non est merum,

nec tu edepol quid ſimulas tuis. *Non. Merum, id eſt, ſolum.*

Quare ſi Dia gens eſt, ad amuſſim, per me licet aſſumas, teneo Μακράν. *Non. Examuſſim.*

Etiamſi audiſſet, reddere potuiſſet mulieri tetricæ, horrenti: ducat ad Appiam moribus bonis. *Non. Tetrica, id eſt, ſevera.*

ΤΡΙΟΔΙΤΙ ΤΡΙΦΩΛΙΟΣ, vel ΤΡΙΦΑΛΛΟΣ
Περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως.

*

Priuſquam in Orcheſtra pithaules inflet tibias, domi ſuæ ramices rumpit. *Non. Ramices.*

Nam ut equus, qui ad vehendum eſt natus, tamen hic traditur magiſtro, ut equiſo doceat tolutim. *Non. Tolutim, Equiſo.*

Illud vero quondam egi, ut ego non metuam fulmen, non haruſpicem triſtem, ſimul ac dici non quæro. *Non. Triſte.*

Nec coruſcus imber, alto nubilo cadens,
Multus, grandine implicatus albo. *Non. Grando.*

TRIPHALLUS
Περὶ ἀῤῥενότητος.

*

Ego nihil narro: adeo hic ita curat, qui ante me eſt, neſcio quis longurio. *Non. Longurio, id eſt, longus.*

Calamiſtra. *Soſip. lib. I. Calamiſtra, gen. neut.*

VÆ VICTIS
Περὶ φιλονεικίας.

*

Libet me Epigrammata facere, & quoniam no-

mina non memini, quod in ſolum mihi venerit, ponam. *Non. Caſus pro caſu.*

Quis rotundam facere cætram nequeat? *Nonius, Cætra, obſtaculum, ſcutum.*

Pugilis ſpectatores, qui miſerum putatis vinci, quæro a vobis, ſi adverſarius ſupercilia mi ceſtis deſcobinarit, num quis veſtrûm ſuam mihi eſt daturus? *Non. Ceſtis, pro ceſtibus.*

Properate vivere pueræ,
Quas ſinit ætatula ludere,
Eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.
Non. Puceræ, id eſt, puellæ.

VINALIA
Περὶ ἀφροδισιῶν.

*

—— —— Etenim ſic vide.
Utrum mercedem accipitis, qui meas venit
Segetes ut ſarriat, an ego ab illo? ſic ego
Centuſſim ſartor, ſitu plus laboras, quam ego do.
Non. Sartores.

VIRGULA DIVINA.

*

Oleum in lucubrationem ſervavimus, quod in ſparagos totum legitime vertamus. *Non. Sparagus.*

Ego nunc poſtulo Agamemnona meum: tantus cothurnus accipit Critona caliendrum. *Porphyr. in Horatii lib. I. Sermonum. Caliendrum eſt galericulum.*

Cum neque aptam mollibus humeris fibulam ſagus ferret. *Non. Sagus, maſc. gen.*

Præſertim cum ventrem meum coerceam, nec murmurari patiar. *Non. Murmurari, pro murmurare.*

Primum venit in urbem, atque intra muros, deinde accedit prodius, atque introit domum. *Non. Prodius.*

Et pullos peperit fritinnientes,
Quos non lacte novo levata paſcat,
Sed pancarpineo cibo coacto,
Libamenta legens caduca victus.
Ad quos tum volucres puſillos
Uſque ad limina nidica * * * * vilis.

Nonius, Fritinnire, Levare, Cogere, Legere, Vile pro frequenti.

Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, penula in imbri. *Non. Penula.*

ΤΔΡΟΚΡΤΟΝ.

*

Non vides apud Mneſtheum ſcribi, tria genera eſſe vini, nigrum, album, medium, quod vocant κίῤῥον, id eſt, gilvum: & novum, vetus, medium: & efficere nigrum virus, album urinam, medium πέψιν? novum refrigerare, vetus calefacere, medium vero eſſe prandium caninum? *A. Gell. lib. XIII, cap. 30.*

INCERTA.

*

Itaque illa tergiverſari non ſinent, ſecumque rapient. *Non. Tergiverſari.*

Eccleſiam in regiam arcam impancrarunt. *Non. Impancrare.*

Aut frigidos nimbos aqua ista caduciter ruentes, Pertimuerunt aquatiles querquedulæ natantes. *Non. Caduciter, pro præcipitanter.*

Ajace stramentitio. Acre æger medicos exquisitim convocabas, ut convalesceres. *Nonius, Exquisitim.*

Non posset eam amplius perferre, tamen suadet, ut noceat. *Non. Ferre, ex Sat. Caprinum præl.*

Sera parecte. Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere. *Non. Expulsim.*

Cujus ubi annis multis masculi vestigium inventum est. *Non. Annis multis.*

Anoputio πολιπέκλινε ἐδικάκης. nam in omnibus legi πολιπέκλυς πέρβαιτον. Ne dares, ne polliceres, quod datum est. *Non. Polliceres, pro pollicereris.*

Denique omnes, cum lucerna combusta est in lucubrando, olivitasque consumta est. *Nonius, Olivitas.*

Capite permulso. *Prisc. libro IX.*

Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus & spoliatus ita est & incensus, ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congesserant secula, ne unum quidem habuerit scriptulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit in Menippæis, ostenderet. *Arnob. lib. VI.*

Arenam autem seorsim pro multis, Varro sæpe in Menippæis suis posuit. *Macrobius.*

Cynicus Varro ccc Joves, sive Juppiteres dicendum, sine capitibus introduxit. *Tertullianus in Apologetico cap. 14.*

Quomodo poteſt mundus eſſe, ut ait Varro, ſine capite, ſine præputio? *Seneca in Apocolocynthoſi, ſive in Ludo de morte Claudii Cæſaris.*

Nocturnum Deum Varro in Satyris perpetuo ſopore & ebrietate torpidum induxit. *Auguſt. de Civitate Dei.*

M. TERENTII VARRONIS LOGISTORICI.

TUBERO SIVE DE ORIGINE HUMANA.

*

Cælum eſt teſta, item vitellum, terra: inter illa duo humor, quaſi in ſinum cluſus aeri, in quo calor. *Probus in Eclogam VI.*

Vitellum appellatum, qui nutriat vitalia. *Idem, ibidem.*

Pythagoras autem, quod erat credibilius, dixit partus eſſe genera duo, alterum ſeptem menſium, alterum decem: ſed priorem aliis dierum numeris conformari, aliis poſteriorem. Eos vero numeros, qui in unoquoque partu aliquid afferunt mutationis, dum aut ſemen in ſanguinem, aut ſanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertitur, inter ſe collatos, rationem habere eam, quam voces habent, quæ in Muſica Symphonæ vocantur. *Cenſorin. de Die natali.*

CATO, DE LIBERIS EDUCANDIS.

Quod petiſti, ut ejus educationis fierem tibi ſocius, quod potui, adminiculavi voluntatem tuam ſcribendo. *Non. Adminiculavi, pro adjuvi.*

Velim me Hercules, inquit, ipſe uſu magno

puerilitatis formulam audire. *Nonius, Puerilitas pro pueritia.*

Et quod perſpicuum eſt, majorem curam nos habere marſupii, quam vitæ noſtræ. *Nonius, Marſupium.*

Male enim conſuetudo importata eſt inexſtinguibilis. *Non. Inexſtinguibilis.*

Educit enim obſtetrix, educat nutrix, inſtituit pædagogus, docet magiſter. *Non. Educit & Educat.*

Anteſtatus eſt fortunam, propter cujus aram ea hoſtia erat cæſa, id quod poſtea verum eſſe. *Nonius, Propter, pro juxta.*

Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios prænominabant: quod qui cito facturum quid ſe oſtendere volebat, dicebat, Numero id fore, quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam Deam ſolent indigitare etiam Pontifices. *Nonius, Numerus.*

Hiſce Manibus lacte fit, non vino: Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam, id eſt priſco vocabulo mamma: a quo ſubrumi etiam nunc dicuntur agni. *Non. Ruma, id eſt, mamma.*

Cum primores cibo & potione initiarent pueros, ſacrificabantur, ab Ædilibus Eduſæ, & a potione Potinæ nutrices. *Non. Eduſa & Potina.*

Statilinum, & Statanum & Fabulinum præſideos Deos Varro *Catone*, ſive de liberis educandis, puerilitatis affirmat. A ſtando Statano & Statulino, quorum nomina habent ſcripta Pontifices. Sic, cum primo fari incipiebant, ſacrificabant Divo Fabulino. *Non. Statilinus, Statanus, Fabulinus.*

Cum cibum ac potionem buas ac pappas dicunt: matrem mammam, patrem tatam. *Nonius*, *Bua*, *pro potione*.

Vel maxime illic didici ſitienti videri aquam mulſum, eſurienti panem cibarium, & exercitato ſomnum ſuavem. *Non. Cibarium.*

Alii adferunt libum ac turundam. *Non. Turunda & Libum.*

Quare meliuſculæ curæ conſuetudinis puerilis illorum, qui ſuis catellis miniſtrant quod edent. *Non. Catelli.*

Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri: advertimuſque hinc elici tarditatem, corporaque eorum inprocera fieri, minuſque adoleſcere. Idem plerique alii Medicorum, Philoſophorumque, & M. Varro in Logiſtorico ſcripſit, qui inſcriptus eſt *Cato*, aut de liberis educandis. *A. Gellius lib. IV, cap. 9.*

Fortuna ſe illos non natura præſtare, ſi quid his datum ſit eſculentum. *Non. Eſculentum.*

Eam nutricem oportet eſſe adoleſcentem: anuis enim ut ſanguis deterior, ſic lac. Lac enim, ut quidam dicunt Phyſici, ſanguinis ſpuma eſt. *Nonius*, *Anuis*, *pro anus*.

Ut cibo utatur modico & idoneo, ut vitet acria, ut eſt ſinapi, cepa, allium. *Non. Cepa.*

Ut faciunt pleræque, ut adhibeant præcantrices, nec medico oſtendunt. *Non. Præcantrix.*

Omnes enim, qui loquuntur, habere debent quoſdam melos. *Non. Melos.*

Melos alterum in cantibus est bipartitum: unum, quod est in assa voce; alterum, quod vocant organicon. Assum autem existimandum est, ut in obsoniis sine pigmento saporis alieni: quemadmodum Merum dicitur solum. *Nonius, Assa voce, id est, sola voce.*

Etenim nulla, quæ non didicit pingere, potest bene judicare, quid sit bene pictum a plumario, aut textore, in pulvinaribus plagis. *Non. Plumarium, a plumando.*

Non in suarum manuum opificio, quibus alno, lino quid faciunt, aut palma. Nam liberti quæstuis causa diribebant res suas pueris. *Non. Quæstuis, pro quæstus.*

Mihi puero modica unica fuit tunica, & toga sine fasciis, calceamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus. *Non. Ephippium.*

Ut puellæ habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac parnasides, quam tegas. *Nonius, Encombomata & Parnacidæ.*

Magnum est enim, ut Ariston scribit, in primordio puerili, quemadmodum incipiat fingi: ad id quasi evadat. *Non. Fingere, jurare.*

Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatore corpore essent. *Non. Siccum & Siccitas.*

Ab hujusmodi lusionibus radices crudelitas agere solet. *Non. Lusus vel Lusio.*

Et ut in grege opilio oves minus idoneas re-

movere ſolet, quas reiculas appellat. ſæpe enim unus puer petulans atque impurus, inquinat gregem puerorum. *Non. Reiculæ oves.*

Alii ſunt circumtonſi, & terti atque unctuli, ut mangonis eſſe videantur ſervi. *Non. Terta, pro terſa.*

Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros ad Apollinem ponere ſolent. *Non. Cirri, capitis pili.*

Non ſolum qui primus in alterutra re præſtet alios, ſed etiam qui ſit ſecundus & tertius. *Non. de Numeris & caſibus.*

Omnia inquam in docendis pueris, quæ damna non prohibent verum bonum fieri: mediocria modica ſunt. *Non. Modicum, Mediocre.*

Remoriſſimum ad docendum formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi: contra delectatio, protelo ad dicendum. *Non. Protelare.*

Itaque domi rituis noſtri, qui per Dium Fidium jurare vult, prodire ſolet in publicum. *Nonius, Rituis, pro ritus.*

Sculna. *A. Gell. lib. XX, cap. 10.*

DE ARGONAUTIS. EX UNO LIBRORUM IV.

*

Pars Parthorum Media eſt appellata a Medo, filio Medeæ & Ægæi. *Probus Grammat.*

ATTICUS DE NUMERIS.

*

Id moris, inſtitutique majores noſtri tenuerunt,

ut cum die natali munus annale Genio ſolverent, manum a cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die, quo ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. *Cenſorin. de Die natali.*

LATERENSIS.

*

Parſurus pecuniis bene partis. *Priſc. lib. IX.*

MARIUS DE FORTUNA.

*

Eſt natio hominum juxta agrum Præneſtinum, qui Carſitani vocantur ἀπὸ τῶν καρυῶν, cujus rei meminit Varro in Logiſtorico, qui inſcribitur *Marius, Fortuna.* Inde ſcilicet Præneſtinæ nuces. *Macrob. Saturnal. lib. III, cap. 18.*

MESSALA DE VALETUDINE.

*

Antiquos agreſtes venandi peritos, cum plurimum in ſilvis agerent, quod velut Diana duce ad inveſtigandas feras paterent, Devianam appellaſſe Deam, mox Dianam, quod intelligerent eandem eſſe, quæ diem naſcentibus daret. *Probus in Bucol. Virgilii.*

DE MORIBUS.

*

Mos eſt judicio animi, quem ſequi debet conſuetudo. *Macrob. lib. III, cap. 8.*

DE NATURA RERUM.

*

Nec familiæ rixent cum vicinis. *Nonius, Rixent, pro rixentur.*

NEPOS.

*

Hæc præſepes, *Soſip. lib. I.*

ORESTES DE INSANIA.

*

Olympiadem, Philippi uxorem, feſtiviſſime reſcripſiſſe legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem ita ſcripſiſſet: Rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri ſalutem dicit: Amabo, inquit, mi fili, quieſcas, neque differas me, neque criminere adverſus Junonem. malum mihi prorſum illa magnum dabit, cum tu me literis tuis, pellicem illi eſſe confitearis. *A. Gell. lib. XIII.*

PAPPUS DE INDIGITAMENTIS.

*

Naſturtium non vides ab eo dici, quod naſum torqueat: Veſtiſpicam, quod veſtes ſpiciat. *Non. Veſtiſpici, veſtium cuſtodes.*

PIUS, DE PACE.

*

Cajum Salluſtium ſcriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis, in cujus hiſtoria notiones Cenſorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehenſum, ab Annio Milone loris bene cæſum dicit, &, cum dediſſet pecuniam, dimiſſum. *Gell. lib. XVII, cap. 18.*

SISENNA DE HISTORIA.

Quod ſi non horum omnium ſimilia eſſent principia, ac poſt principia, ſuſque deque eſſet. *Idem, lib. XVI, cap. 9.*

SCAURUS.

*

Glutinum ferunt Dædalum inveniſſe. *Soſip. lib. I. Glutinum quaſi gaudium, præmium.*

Palumbi. *Idem, Palumbi, maſculino genere.*

INCERTA.

*

Varro in libris Logiſtoricis dicit, ideo mortuis Salve & Vale dici, non quod valere, aut ſalvi eſſe poſſint, ſed quod ab iis recedimus, eos amplius nunquam viſuri. *Serv. in lib. V Æneidos.*

M. TERENTII VARRONIS ΠΕΡΙΠΛΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ.

*

Tum vero doces hiſtoriam neceſſariam, unum ſingulum eſſe. *Non. Singulum, pro ſingulare.*

In hac civitate tum regnabat Dionyſius, homo garrulus & acer. *Non. Garrulæ.*

In hac civitate agros colunt arenoſos. propter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam. *Non. Amnis, feminino genere.*

LIB. II.

Itaque videas barbato roſtro illum commentari, & unumquodque verbum ſtatera auraria ponderare.

Ac nulla ambroſia & nectar, non allia, Sardæ,

& panis, pemma lucuns, cibus, qui puriſſimus multo eſt. *Non. Lucuns.*

Et ne erraremus, Ectropas eſſe multas: omnino tutum eſſe, ſed ſpiſſum iter. *Non. Spiſſum.*

M. TERENTII VARRONIS PROMETHEI

LIB. I.

*

Humanam quandam gentem ſtirpis, inquit, frigus calore, atque humore artitudinem miſcet. *Non. Aritudinem, pro ariditate.*

Id ut ſcias, audi hoc, quod falſum dicis eſſe, nemini oculos opus eſſe, ſi habet. *Non. de Numeris & caſibus.*

Mortales nemo exaudit, ſed late incolens
Barathrum, inhoſpitalis campis vaſtitas.
Nonius, Vaſtitas.

Ego infelix non queam vim propulſare, atque inimicum orco dimittere: nequidquam ſæpe æratas manus compedes conor revellere. *Non. Compedes.*

In tenebris ac ſuili vivunt, niſi non forum hara, atque homines qui nunc, plerique ſues ſunt exiſtimandi. *Non. Hara.*

Aliæ mitram vicinam, aut mitram Melitenſem. *Non. Rica, ſudarium.*

Lenis mens cum ſomnorinas imagines
Affatur, non umbrantur ſomno pupulæ.
Non. Somnurnæ, quæ in ſomnis videntur.

LIB. II.

*

Cum ſumere cœpiſſet, voluptas retineret. cum ſat

haberet, ſatias manum de menſa tollere. *Non. Satias, pro ſatietas.*

Retrimenta cibi, quæ exirent, per poſticum vallem feci. *Non. Poſtica, neutro genere.*

INCERTI LIBRI.

*

Æmulum iſtius artis atque obſtrigillatorem, quæ per aliquot annos quæſti nihil fecerit. *Non. Quæſti, pro quæſtus.*

Eburneis lectis & plagis ſigillatis. *Non. Plaga.*

Chryſodandalos vocat ſibi amiculum de lacte & cera Tarentina, quam apes Mileſiæ coegerint, ex omnibus floribus libantes, ſine oſſe & nervis, ſine pelle, ſine pilis, puram, putam, proceram, candidam, teneram, formoſam. *Non. Putus.*

Tum viſus ſupernus cortex, aut cacumina Morientum in quercu, & arborum altitudine. *Non. Cortex.*

Atque exſanguibus dolore, evireſcat colos. *Non. Evireſcat. ex libro XV.*

M. TERENTII VARRONIS DE FORMA PHILOSOPHIÆ

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Capparim. *Soſip. lib. I. Capparim, feminino genere.*

M. TERENTII VARRONIS DE PHILOSOPHIA LIBER.

Quatuor esse quædam, quæ homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quæ virtus dicitur, & procul dubio discitur, velut naturaliter appetunt: aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus, aut quietem, qua fit, ut nullam molestiam quisque corporis patiatur, aut utramque, quam tamen unico nomine voluptatis Epicurus appellat; aut universaliter. Prima naturæ, in quibus & hæc sunt, & alia, vel in corpore, ut membrorum integritas, & salus atque incolumitas ejus, vel in animo, ut sunt ea, quæ vel parva, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Hæc igitur quatuor, id est, voluptas, utrumque, prima naturæ, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, propter hæc appetenda sit: aut ista propter virtutem, aut utraque propter se ipsa: ac per hoc fiunt hinc duodecim sectæ; per hanc enim rationem singulæ triplicantur: quod cum in uno demonstravero, difficile non erit, id in ceteris invenire.

Cum ergo voluptas corporis, animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut jungitur, tripartita variatur diversitate sectarum.

Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur. Pertinet quippe ad virtutis officium, & vivere patriæ, & propter patriam filios procreare: quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate.

Nam ſine illa nec cibus potuſque ſumitur, ut vivatur; nec concumbitur, ut generatio propagetur. cum vero præfertur virtuti, ipſa appetitur propter ſe ipſam. Virtus autem aſſumenda creditur propter illam, id eſt, ut nihil virtus agat, niſi ad conſequendam, vel conſervandam corporis voluptatem. quæ vita deformis eſt quidem, (quippe ubi virtus ſervit dominæ voluptati, quamvis nullo modo hic dicenda ſit virtus:) ſed tamen iſta horribilis turpitudo quoſdam Philoſophos patronos & defenſores ſuos habuit. Virtuti porro voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, ſed propter ſe ipſas ambæ appetantur.

Quapropter ſicut voluptas vel ſubdita, vel prælata, vel juncta virtuti, tres ſectas facit: ita quies, ita utrumque, ita prima naturæ, alias ternas inveniuntur efficere. Pro varietate quippe humanarum opinionum virtuti aliquando ſubduntur, aliquando præferuntur, aliquando junguntur, ac ſic ad duodenarium ſectarum numerum pervenitur.

Sed iſte quoque numerus duplicatur, adhibita una differentia, ſocialis videlicet vitæ: quoniam quiſquis ſectatur aliquam iſtarum duodecim ſectarum, profecto aut propter ſe tantum id agit, aut etiam propter ſocium, cui debet hoc velle, quod ſibi. Quocirca ſunt duodecim eorum, qui propter ſe tantummodo unamquamque tenendam putant, & aliæ duodecim eorum, qui non ſolum propter ſe, ſic vel ſic philoſophandum eſſe decernunt, ſed etiam propter alios, quorum bonum appetunt, ſicut ſuum. hæ autem ſectæ viginti quatuor, iterum geminantur

addita differentia ex Academicis novis, & fiunt quadraginta octo.

Illarum quippe viginti quatuor unamque sectarum potest quisque sic tenere ac defendere, ut certam, quemadmodum defenderunt Stoici, quod hominis bonum, quo beatus esset, in animi tantum virtute consisteret. Potest alius ut incertam, sicut defenderunt Academici novi, quod eis, etsi non certum, tamen verisimile videbatur.

Viginti quatuor ergo fiunt per eos, qui eas velut certas propter veritatem, & aliæ viginti quatuor per eos, qui easdem velut incertas, propter verisimilitudinem sequendas putant. Rursus, quia unamquamque istarum quadraginta octo sectarum potest quisque sequi habitu ceterorum Philosophorum; itemque potest alius habitu Cynicorum: ex hac differentia duplicantur, & nonaginta sex fiunt.

Deinde quia earum singulas quasque ita tueri homines possunt, atque sectari, ut aut otiosam diligant vitam, sicut hi, qui tantummodo studiis doctrinæ vacare voluerunt, atque valuerunt: aut negotiosam, sicut hi, qui cum philosopharentur, tamen administratione reipublicæ regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt: aut ex utroque genere temperatam, sicut hi, qui partim erudito otio, partim necessario negotio, alternantia vitæ suæ tempora tribuerunt.

Propter has differentias potest etiam triplicari numerus iste sectarum, & ad ducentas octoginta octo perduci.

Removet ergo prius omnes illas differentias, quæ numerum multiplicavere ſectarum: quas ideo removendas putat, quia non in eis eſt finis boni. Neque enim exiſtimat ullam philoſophiæ ſectam eſſe dicendam, quæ non eo diſtet a ceteris, quod diverſos habeat fines bonorum & malorum: quandoquidem nulla eſt homini cauſa philoſophandi, niſi ut beatus ſit; quod autem beatum facit, finis boni: nulla eſt igitur cauſa philoſophandi, niſi finis boni. Quamobrem quæ nullum boni finem ſectatur, nulla philoſophiæ ſecta dicenda eſt.

Cum ergo quæritur de ſociali vita, utrum ſit tenenda ſapienti ut ſummum bonum, quo ſit homo beatus, ita velit & curet amici ſui, quemadmodum ſuum, an ſuæ tantummodo beatitudinis cauſa faciat, quidquid facit, non de ipſo ſummo bono quæſtio eſt, ſed de aſſumendi vel non aſſumendi ſocio ad hujus participationem boni, non propter ſe ipſum, ſed propter eundem ſocium, ut ejus bono ita gaudeat, ſicut gaudet ſuo. Item cum quæritur de Academicis novis, quibus incerta ſunt omnia, utrum ſint ita res habendæ, in quibus philoſphandum eſt, an ſicut aliis Philoſophis placuit, certas eas habere debeamus, non quæritur quid in boni fine ſectandum ſit, ſed de ipſius boni veritate, quod videtur ſectandum, utrum ſit necne dubitandum; hoc eſt, ut ita planius eloquar, utrum ita ſectandum ſit, ut, qui ſectatur, dicat eſſe verum, an ita, ut, qui ſectatur, dicat ſibi videri, etiamſi forte ſit falſum; tamen uterque ſectetur unum atque idem bonum. In illa etiam differentia, quæ adhibetur ex

habitu & conſuetudine Cynicorum, non quæritur quiſnam ſit finis boni, ſed utrum in illo habitu & conſuetudine ſit vivendum ei, qui verum ſectatur bonum, quodlibet ei verum eſſe videatur atque ſectandum.

Denique fuerunt, qui, cum diverſa ſequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eundem tamen habitum & conſuetudinem tenebant, ex quo Cynici appellabantur. Ita illud, quidquid eſt, unde Philoſophi Cynici diſcernuntur a ceteris, ad eligendum ac tenendum bonum, quo beati fierent, utique nihil valebat: nam ſi aliquid ad hoc intereſſet, profecto idem habitus eundem finem ſequi cogeret, & diverſus habitus eundem ſequi finem non ſineret.

Has quatuor adhibens differentias, id eſt, ex vita ſociali, ex Academicis novis, ex Cynicis, ex iſto vitæ genere tripartito, ad ſectas CCLXXXVIII pervenit, & ſi quæ aliæ poſſunt ſimiliter adjici, remotis iis omnibus, quoniam de ſectando ſummo bono nullam inferunt quæſtionem, & ideo ſectæ nec ſunt, nec vocandæ ſunt: ad illas duodecim, in quibus quæritur, quid ſit bonum hominis, quo aſſecuto ſit beatus, ut ex eis unam veram, ceteras falſas eſſe oſtendat, revertitur.

Nam remoto illo tripartito genere vitæ, duæ partes hujus numeri detrahuntur, & ſectæ nonaginta ſex remanent. Remota vero differentia ex Cynicis addita, ad dimidium rediguntur, & quadraginta octo fiunt. Auferamus etiam, quod ex Aca-

demicis novis adhibitum eſt: rurſus dimidia pars remanet, id eſt, viginti quatuor.

De ſociali quoque vita quod acceſſerat, ſimiliter auferatur, & duodecim ſunt reliquæ, quas iſta differentia, ut viginti quatuor fierent, duplicaverat. De his ergo duodecim nihil dici poteſt, cur ſectæ non ſint habendæ, nihil quippe aliud in eis quæritur, quam finis bonorum & malorum: inventis autem bonorum finibus, profecto e contrario ſunt malorum. Hæ autem ut fiant duodecim ſectæ, illa quatuor triplicantur, Voluptas, Quies, Utrumque, & prima Naturæ, quæ primigenia Varro vocat. Hæc quippe quatuor dum ſingulatim virtuti aliquando ſubduntur, ut non propter ſe ipſa, ſed propter officium virtutis appetenda videantur, aliquando præferuntur, ut non propter ſe ipſa, ſed propter hæc adipiſcenda vel conſervanda, neceſſaria virtus putetur: aliquando junguntur, ut propter ſe ipſa & virtus, & iſta appetenda credantur: quaternarium numerum, triplum reddunt, & ad duodecim ſectas perveniunt. ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem ſcilicet, & quietem, & utrumque: non quod eas improbet, ſed quod primigenia illa naturæ & voluptatem inter ſe habeant, & quietem. Quid ergo opus eſt, ex his duabus tria quædam facere, duo ſcilicet cum ſingulatim appetuntur, voluptas aut quies, & tertiam cum ambæ ſimul: quandoquidem prima naturæ, & ipſas, & præter ipſas, alia multa contineant. De tribus ergo ſectis, ei placet, diligenter eſſe tractandum, quænam ſit potius eligenda.

Quia ſummum bonum in philoſophia, non arboris, non pecoris, non Dei, ſed hominis quæritur, quid ſit ipſe homo, quærendum putat. Sentit quippe, in ejus natura duo eſſe quædam, corpus & animam; & horum quidem duorum melius eſſe animam, longeque omnino præſtabilius, non dubitat. Sed utrum anima ſola ſit homo, ut ita ſit ei corpus tanquam equus equiti, quærendum putat. Eques enim non homo & equus, ſed ſolus homo eſt: ideo tamen eques dicitur, quod aliquo modo ſe habeat ad equum. An corpus ſolum ſit homo aliquo modo ſe habens ad animam, ſicut poculum ad potionem. Non enim calix & potio, quam continet calix, ſimul dicitur poculum, ſed calix ſolus: ideo tamen, quod potioni continendæ ſit accommodatus. An vero nec anima ſola, nec ſolum corpus, ſed ſimul utrumque ſit homo, cujus pars ſit una, ſive anima, ſive corpus: ille autem totus ex utroque conſtet, ut ſit homo? Sicut duos equos junctos, bigas vocamus, quorum ſive dexter, ſive ſiniſter, pars eſt bigarum: unum vero eorum, quoquomodo ſe habeat ad alterum, bigas non dicimus, ſed ambos ſimul. Horum autem trium hoc eligit tertium, hominemque nec animam ſolam, nec ſolum corpus eſſe arbitratur. Proinde ſummum bonum hominis, quo ſit beatus, ex utriuſque rei bonis conſtare dicit, & animæ ſcilicet, & corporis. ac per hoc prima illa naturæ propter ſe ipſa exiſtimat eſſe expetenda, ipſamque virtutem, quam doctrina inſerit, velut artem vivendi, quæ in animæ bonis eſt excellen-

tiſſimum bonum. Quapropter eadem virtus, id eſt, ars agendæ vitæ, cum acceperit prima naturæ, quæ ſine illa erant, ſed tamen erant etiam, quando eis doctrina adhuc durat, omnia propter ſe ipſam appetit, ſimulque etiam ſe ipſa ipſam; omnibuſque ſimul, & ſe ipſa utitur, eo fine, ut omnibus delectetur, atque perfruatur magis minuſque, ut quæque inter ſe majora atque minora ſunt, tamen omnibus gaudens, & quædam minora, ſi neceſſitas poſtulat, propter majora vel adipiſcenda, vel tenenda contemnens.

Omnium autem bonorum, vel animi, vel corporis, nihil ſibi virtus omnino præponit. hæc enim bene utitur & ſe ipſa, & ceteris, quæ hominem faciunt beatum, bonis. ubi vero ipſa non eſt, quamlibet multa ſint bona, non bona ejus ſunt, cujus ſunt, ac per hoc nec ejus bona dicenda ſunt, cui male utenti, utilia eſſe non poſſunt.

Hæc ergo vita hominis, quæ virtute & aliis animi & corporis bonis, ſine quibus virtus eſſe non poteſt, fruitur, beata eſſe dicitur. Si vero & aliis, ſine quibus eſſe virtus poteſt, vel ullis vel pluribus, beatior: ſi autem prorſus omnibus, ut nullum omnino bonum deſit, vel animi vel corporis, beatiſſima. Non enim hoc eſt vita, quod virtus: quoniam non omnis vita, ſed ſapiens vita, virtus eſt. & tamen qualiſcunque vita, ſine ulla virtute poteſt eſſe: virtus vero ſine ulla vita eſſe non poteſt. Hoc & de memoria dixerim atque ratione, & ſi quid aliud tale eſt in homine.

Sunt enim hæc & ante doctrinam: ſine his autem

non poteſt eſſe ulla doctrina, ac per hoc nec virtus, quæ utique diſcitur. Bene autem currere, pulchrum eſſe corpore, viribus ingentibus prævalere, & cetera hujuſmodi, talia ſunt, ut & virtus ſine his eſſe poſſit, & ipſa, ſine virtute, bona ſunt: tamen & ſecundum ipſos, propter ſe ipſam diligitur virtus, utiturque illis & fruitur, ſicut virtutem decet. Hanc vitam beatam, etiam ſocialem perhibent eſſe, quæ amicorum bona, propter ſe ipſa diligit, ſicut ſua, eiſque propter ſe ipſos hoc velit, quod ſibi, ſive in domo ſint, ſicut conjux & liberi quicunque domeſtici: ſive in loco, ubi domus ejus eſt, ſicuti eſt urbs, ut ſunt hi, qui cives vocantur: ſive in orbe toto, ut ſunt gentes, quas ei ſocietas humana conjungit: ſive in ipſo mundo, qui cenſetur nomine cæli & terræ, ſicut eſſe dicunt Deos, quos volunt amicos eſſe homini ſapienti, quos nos familiarius Angelos dicimus. De bonorum autem, & e contrario malorum finibus negant ullo modo eſſe dubitandum, & hanc inter ſe & novos Academicos affirmant eſſe diſtantiam, nec eorum intereſt quidquam, ſive alio quolibet habitu & victu in his finibus, quos veros putant, quiſque philoſophetur. Ex tribus porro illis vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & quod ex utroque compoſitum eſt, hoc tertium ſibi placere affirmat. Hæc ſenſiſſe atque docuiſſe Academicos veteres, Varro aſſerit, auctore Antiocho, magiſtro Ciceronis & ſuo, quem ſane Cicero in pluribus fuiſſe Stoicum, quam veterem Academicum vult videri. *Georgius Fabricius in Roma ſua pagina CXCVI.*

SALARIA.

In hac ſecundum lapidem fuit ſepulcrum magnificentiſſimum Licinii, tonſoris Auguſti, quem Satyrici inſectati ſunt: & hoc Epigrammate, quod eſt apud Cornutum, ſeveriſſime perſtrinxit:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus eſſe Deos?

M. TERENTII VARRONIS FRAGMENTA, NON INDICATO OPERE AB AUCTORIBUS ALLATA.

*

Dum iſta muginamur, pluribus horis vivimus. *Plin. in præfatione librorum Naturalis Hiſtoriæ.*

*

Utile utamur potius, quam ab re abutamur. *Priſc. lib. VIII.*

*

Paupertas enim hæc tum non ita nutricata, ut nunc conſpicatur. *Ibid. Conſpicatur*, θεωρεῖται.

*

Sed hæc aut omnino non diſcimus, aut prius deſiſtimus, quam intelligamus, cur diſcenda ſint. Voluptas autem, vel utilitas talium diſciplinarum, in poſtprincipiis exſiſtit, cum perfectæ abſolutæque ſint: in principiis vero ipſis, ineptæ & inſuaves videntur. *A. Gell. lib. XVI, cap. 18.*

Linea eſt longitudo quædam, ſine latitudine & altitudine. *A. Gell. lib. I.*

*

Sepultus eſt (Porſena rex) ſub urbe Cluſio, in

quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm; inque baſi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat.

Supra id quadratum pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, & in medio una: in imo latæ pedum ſeptuagenûm, altæ centum quinquagenûm: ita faſtigiatæ, ut in ſummo, orbis æneus, & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ exſtant, altæ pedum centenûm, ſupra quas uno ſolo quinque. *Plin. Nat. Hiſt. lib. XXXVI, cap. 19.*

*

Lix cinis eſt foci. Inde enim cinis luxatis potus medetur, ut licet videre gladiatores, cum deluſerunt, hac juvari potione. *Ibid. cap. 69.*

*

Duo ſunt genera agminum. Quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis poſſit conſiſtere: pilatum alterum, quod ſine jumentis incedit, ſed inter ſe diviſum eſt, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. *Serv.*

*

Quia Dii veri neque deſiderant ea (ſacrificia,) neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſta gypſo, vel marmore multo, minus hæc curant: carent enim ſenſu: neque ulla contrahitur, ſi ea non fe-

ceris, culpa; neque ulla, ſi feceris, gratia. *Arnob. contra gentes libro IV.*

*

Veſtales inceſti compertæ, cauſa incognita petuntur, conſecuta negliguntur. *Priſc. lib. VIII.*

*

In commentario veteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex ſali, quod ſale ſordidum piſum eſt, & in ollam rudem fritilem objectum eſt, & poſtea id ſale virgines Veſtales ſerra ferrea ſecant. *Non. Sal, neutro genere.*

*

Tribunitio auxilio adminiculati. *Priſc. lib. VIII.*

*

Ab amicis hortaretur. *Idem, ibidem.*

*

Affectatus eſt regnum. *Diomed. lib. I. Affecto, ſed Varro, affectatus eſt.*

*

Oſſe ſcribebant. *Soſip. lib. I. Oſſe, non oſſo.*

*

Quid mirum, ſi ex agri depolitionibus ejiciuntur, hic in cœnaculo polito recipiuntur. *Non. Politiones, agrorum cultus diligentes.*

*

Sicut pulli ſic incedunt, & in labellis morſicatim luſitant. *Non. Morſicatim, a morſu.*

*

Quid mihi cum ſomno, ſi dormitio tollitur. *Non. Dormitio.*

*

Fulmenta lectum ſcandunt. *Non. Fulmentum, neutro genere.*

*

Olympiam in ludos invitem. *Soſip. lib. I.*

*

Æquinoctium auctumnal. *Ibid. Auctumnal, pro auctumnale.*

*

Sceleris magiſter amicit. *Diomed. lib. I. ubi & ſequentia adducit.*

*

Pecorinæ delitæ literæ.

*

Quiritavi.

*

Furo, ſapivi, & ſapii, famii. *Priſc. lib. VIII, cap. 10. Soſip. lib. I.*

*

Puera, margaritas. *Ibidem.*

*

Schemaſin, curriculum, paſtillum. *Ibidem.*

*

Senatuis, domuis, fluctuis. *Gell. lib. IV, cap. 16.*

*

Præter propter. Pluria. *A. Gell. lib. XIX, c. 10.*

*

Vulturnus ventus. Calvaria. *Seneca Natural. Quæſtionum lib. V. Caper de Orthographia,* Cælius & Varro *Calvariam dicunt.*

*

Ruſticellus, Hercules appellatus, mulum ſuum tollebat. *Plin. Nat. Hiſt. lib. VII, cap. 19.*

*

Mæniana omnia opĉriebat Serapionis tabula ſub veteribus. *Plin. lib. XXXV, cap. 37.*

*

Si quarto die luna erit directa, magnam tempeſtatem in mari præſagiet, niſi ſi coronam circa ſe habebit, & eam ſinceram; quoniam illo modo, non ante plenam lunam hiematurum oſtendit. Si plenilunio per dimidium pura erit, dies ſerenos ſignificabit; ſi rutila, ventos; nigreſcens, imbres. Si caligo orbis nubem incluſerit, ventos, qua ſe ruperit: ſi gemini orbes cinxerint, majorem tempeſtatem. Et magis, ſi tres erunt, aut nigri, interrupti atque diſtracti. Naſcens luna, ſi cornu ſuperiore obatro ſurget, pluvias decreſcens dabit; ſi inferiore, ante plenilunium; ſi in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio. Si plena circa ſe habebit orbem, ex qua parte is maxime ſplendebit, ex ea ventum oſtendet. Si in ortu cornua craſſiora fuerint, horridam tempeſtatem: ſi ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hiemalis toto menſe erit. Si decimo ſexto vehementius flammea apparuerit, aſperas tempeſtates præſagiet. *Plin. lib. XVIII, cap. 79.*

*

Manicatis & talaribus tunicis. *Serv. in VIII Æneidos.*

*

Sparum, miſſile, a piſcibus ducta ſimilitudine, qui ſpari vocantur. *Idem in XI Æneidos.*

*

Ut ſolent Hirpini, qui ambulaturi per ignes, medicamento plantas tingunt. *Idem in XI Æneidos.*

*

Venilia unda, quæ ad litus venit; Salacia, quæ ad ſalum redit. *Idem.*

INCERTA QUO OPERE, ET QUIBUS VERBIS A VARRONE POSITA.

*

Hanc literam (digamma) Terentius Varro dum vult demonſtrare, ita præſcribit VAV. *Caſſiod. de Orthographia.*

*

Varro vult auctoritate ſua efficere, ut H prius ponatur ea litera, quæ aſpirationem confert, & eo magis hoc tentat perſuadere, quod vocalibus quoque dicat anteponi, ut heres, hircus. *Ibid.*

*

Pulcrum aſpirari debere, Varro negat, ne duabus conſonantibus media intercedat aſpiratio, quod minime rectum antiquis videbatur. *Soſip. lib. I.*

*

Graccus & Ortus ſine aſpiratione dici debere Varro ait. Et ortum quidem, quod in eo omnia oriantur: Graccum autem a gerendo, quod mater ejus duodecim menſibus utero eum geſtaverit, aut a gracilitate corporis. *Ibid.*

*

Arenam Varro definit, ſi ab ariditate dicitur, non habere aſpirationem: ſi ab hærendo, ut in fabricis videmus, habere. *Serv. in I Æneid.*

*

Varro tradidit, Cæſarem per I hujuſmodi verba enuntiare ac ſcribere ſolitum eſſe. Inde propter auctoritatem tanti viri, conſuetudinem factam, ut Maximus, Optimus, Peſſimus ſcribatur. *Iſidor. libro I.*

*

Delirus placet Varroni, non Delerus. *Velius Long. de Orthographia.*

*

Varro dicit noſtris jam auribus id lenius per E, ut Mercurius, & commercia dicuntur. *Ibid.*

*

Varroni placet, R literam, ſi primo loco ponatur, non aſpirari. Lector enim ipſe (inquit) intelligere debet, Rodum, tametſi H non habet, Rhodum eſſe: Retorem, Rhetorem. *Caſſiod. de Orthographia.*

*

Ut teſtis eſt Varro, a Sabinis Faſena dicitur, & ſicut S familiariter in R tranſit, ita F in vicinam aſpirationem mutatur. *Velius Long.*

*

Narare per unum R ſcribitur, ut Varroni placet. *Caſſiodor. de Orthographia.*

*

Trabs ab eo, quod dicitur trabis, ut urbs, per P debent ſcribi, licet Varro per B ſcribendum putet, quod in reliquis caſibus B habeant. *Ibidem.*

*

Syllabæ, ut ait Varro, aliæ ſunt aſperæ, aliæ

lenes, proceræ aliæ, aliæ retorridæ, aliæ barbaræ, aliæ græculæ, aliæ duræ, aliæ molles. *Diomed. libro I.*

*

Verſus eſt, ut Varroni placet, verborum junctura, quæ per articulos & commata, ac rhythmos, modulatur in pedes. *Victorin. lib. XI.*

*

Septenarium verſum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad Jambum triſyllabus pes additur, & fit talis: *Quid immerentibus noces, quid invides amicis? Diomed. lib. III, ut & ſequentia.*

*

Octonarius eſt, cum duo Jambi pedes, Jambico pedi præponuntur.

*

Archilochium Varro illud dicit, quod eſt tale: *Ex litoribus properantes.*

*

Jambicum novum carmen refert Varro. Exemplum eſt tale pedum, rhythmumque finit: *Alta navium.*

*

Juventus Attica, ut ait Varro, circum vas ire ſolita fuit, & quæſtus ſui cauſa, hoc genus carminis, ſcilicet comœdiam pronuntiabat.

*

Olim actoribus Tragicis τράγος, id eſt, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die feſto, Libero patri ob hoc ipſum immolabatur, quia, ut ait Varro, depaſcit vitem.

*

Ut ait Varro, tibia dextra unum habet foramen, ſiniſtra duo: quorum unum acutum ſonum habet, alterum gravem.

*

Græcas fabulas ab habitu palliatas, Varro ait, nominari.

*

Terentii Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. *Donat. in vita Terentii.*

*

Exempla in Latina lingua M. Varro eſſe dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. *A. Gell. libro VII, cap. 14.*

*

Licet Varro dicat, Muſas Ælii Stilonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent. *Quinctil. lib. X.*

*

Vates a vi mentis appellatos, Varro auctor eſt, vel a viendis carminibus, id eſt, flectendis, ſeu modulandis. *Iſidor. lib. VIII.*

*

Verbum, ut dicit Varro, a veritate dictum eſt. *Donat. in Terent.*

*

Linguæ a lingendo cibum putat Varro nomen impoſitum. *Lactant. de ira Dei cap. 10.*

*

Frontem a foratu oculorum nominatum Varro exiſtimavit. *De Opificio Dei cap. 8.*

*

Renes, ait Varro, ita dictos, quod rivi ab his obſcœni humoris oriantur. *cap. 14.*

*

Mulier, ut Varro interpretatur, a mollitie eſt dicta, immutata & detracta litera, velut mollier. *Ibid.*

*

Amœna loca Varro dicta ait, eo quod ſolum amorem præſtent, & ad ſe amandum alliciant. *Iſidor. libro XIV.*

*

Focos Varro ait dictos, quod foveant ignes. *Ibidem, libro XX.*

*

Varro ſpiraculum dicit locum peſtiferi ſpiritus, quem Græci *χαρωνεῖα* appellant, vel *ἀχεροντία*. *Ibid.*

*

Veſtibulum, ut Varro dicit, etymologiæ non habet proprietatem, ſed fit pro captu ingenii. *Serv. in VI Æneidos.*

*

Proceres, ait Varro, ideo principes civitatis dici, quia eminent in ea, ſicut in ædificiis mutuli quidam, id eſt, capita trabium, quæ proceres nominantur. *Idem.*

*

Pronubam Varro dicit, quæ ante nupſerit, & quæ uni tantum nupſerit. *Idem.*

*

Varro ait, curculionem *κατ᾽ ἀντίστοιχον* dictum, quaſi gurgulio, eo quod nihil in eo pæne aliud, quam guttur videtur. *Idem in lib. I Georgicorum.*

*

Caper dicitur, qui excaſtratus eſt. *Gell. libro IX, cap. 9.*

*

Varro vult, morem eſſe communem conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inveteratus conſuetudinem facit. *Servius in VII Æneid.*

*

Portenta eſſe ait Varro, quæ contra naturam nata videantur. *Iſidor. libro IX.*

*

Varro dicit, intervalla eſſe ſpatia, quæ ſint inter capita vallorum, id eſt, ſtipitum, quibus vallum fit. *Caſſiod. de Orthographia.*

*

Palla ſecundum Varronem dicta eſt ab irrigatione, & mobilitate, quæ eſt circa finem ejuſmodi veſtium: ἀπὸ τοῦ παλλεῖν. *Serv. in I Æneid.*

*

Dolo eſt ſecundum Varronem ingens contus cum ferro breviſſimo. *Idem in VII Æneid.*

*

Rubigo eſt, ut Varro dicit, vitium obſcœnæ libidinis, quod ulcus vocatur. id autem ex abundantia & ſuperfluitate humoris ſolet naſci, quæ Græce σατυρίασις dicitur. *Idem in I Georgic.*

*

Fundus eſt, quem poſſis mittere funda. *Quinctil. ex Ciceronis joculari libello:*

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

*

Auruginem Varro appellari ait a colore auri. *Iſidor. lib. IV.*

*

Hilum Varro tradit ſignificare medullam ejus ferulæ, quam Græci ἀσφόδελον vocant, & ſic dici apud nos nihilum, quomodo apud Græcos οὐδὲν γρύ. *Iſidor. libro XII & XVII.*

*

Apud Plautum *proſis lectis* Varro ait ſignificare *rectis. Idem libro XI.*

*

Poſcere eſt ſecundum Varronem, quoties aliquid pro merito noſtro depoſcimus. Petere vero, eſt, cum aliquid humiliter & precibus poſtulamus. *Serv. in IX Æneidos.*

*

Conſtat Latinitas, ut ait Varro, his quatuor; Natura, Analogia, Conſuetudine, Auctoritate. *Diomed. libro XI.*

*

Varro maſculino hic pales. *Serv. in III Georg.*

*

Hunc ſilicem Varro & Lucretius dicunt. *Idem in VIII Æneid.*

*

Nomina, quæ ante U habent I, duplici II genitivo ſingulari finiri debent, ne neceſſe ſit adverſus obſervationem, cum dicatur I Imperi & Ingeni, nominativo minorem fieri genitivum: idque Varro tradens adjicit, ſingularem talium no-

minum per duplex II ſcribi debere, & frequentius caſum corrumpi. *Soſip. libro I.*

*

Leontion, Thyruſion, & Faunion. Varroni placet, talia nomina dativo tantum caſu & ablativo declinari, ceteris vero ſic efferri, ut nominativo. *Ibidem.*

*

Ablativum caſum Varro ſextum, interdum Latinum appellat. *Diomed. libro I.*

*

Varro ita diſtinxit, dies maſculino genere, unius diei curſum ſignificare, feminino autem temporis ſpatium. *Soſip. libro I.*

*

Quando particulam pro quam ponere, Formianus & Fundanius, ut Varro ait, faciunt. *Soſip. ibid.*

*

Dimidium librum legi, aut dimidiam fabulam audivi, vel quid aliud hujuſmodi, male ac vitioſe dici, exiſtimat Varro. Oportet enim, inquit, dicere dimidiatum librum, non dimidium, & dimidiatam fabulam, non dimidiam. Contra autem, ſi a ſextario hemina fuſa eſt, dimidium, non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt. Et qui quoque ex mille nummûm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepiſſe dicemus, ſed dimidium. At ſi ſcyphus, inquit, argenteus, mihi cum alio communis, in duas partes diſſectus ſit, dimidiatum eum dicere eſſe ſcyphum debeo, non dimidium. Argenti autem, quod in eo ſcypho in-

eſt, dimidium meum eſſe, non dimidiatum, diſſerit, ac dividit ſubtiliſſime, quid dimidium dimidiato interſit, & Q. Ennium ſcienter hoc in Annalibus dixiſſe ait. *Sicuti ſi quis ferat vas vini dimidiatum. A. Gell. libro III, cap. 14.*

*

Κύβος, eſt figura, ex omni latere quadrata, quales ſunt, inquit M. Varro, teſſeræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipſæ quoque appellantur *κύβοι. Idem libro I, cap. 20.*

*

Pelaſgi, ſicut Varro memorat, cum, ſedibus ſuis pulſi, diverſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam, &, incerti quibus adhærerent locis, ejuſmodi accepere reſponſum, &c. *Macrobius libro I Saturnalium cap. 7. Lactant. libro I Divinarum inſtitut.*

*

Sabini dicti, ut ait Varro, quod ea gens præcipue colat Deos, *ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Feſtus.*

*

Maſſilienſes Varro trilingues eſſe dicit, quod & Græce loquantur, & Latine, & Gallice. *Iſidor. libro XV.*

*

In univerſam Hiſpaniam M. Varro perveniſſe Iberos, & Perſas, & Phœnicas, Celtaſque, & Pœnos tradit. Luſum enim Liberi patris aut Lyſam cum eo bacchantem, nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum ejus. *Plin. Nat. Hiſt. libro III, cap. 3.*

*

Secundum Varronem dicere, Diomedem eruta Anchiſæ oſſa filio reddidiſſe. *Serv. in IV Æneid.*

*

Tabulam luſoriam invenit Palamedes, ad comprimendas otioſi exercitus ſeditiones, ut Varro teſtatur. *Serv. in I Æneidos.*

*

Sciendum, Varronem dicere, Æneam ab Anchiſe adamatum eſſe. *Serv. V Æneid.*

*

Varro dicit, Romulum dimicantem contra T. Tatium, a Lucumonibus, hoc eſt, Tuſcis, auxilium poſtulaſſe. unde quidam venit cum exercitu, cui, recepto jam Tatio, pars urbis eſt data, unde in urbe Tuſcus dictus eſt vicus. *Idem. & Feſtus in voce Tuſcus.*

*

M. Manilius Romæ, qui Gallos in obſidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus eſt conſilium de regno occupando iniſſe, damnatuſque capitis e ſaxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus eſt. *A. Gell. libro XVII.*

*

Euripidem, M. Varro ait, cum quinque & ſeptuaginta tragœdias ſcripſerit, in quinque ſolis viciſſe: cum eum vincerent aliquot poetæ ignaviſſimi. *Ibidem.*

*

Cleophantus apud priſcos, ipſe cognominari ſe a frigida danda præferens, ut auctor eſt M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, jam ſuſ-

pendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret, etiam balineas avidissima hominum cupiditate instituendo, & alia multa dictu grata & jucunda. *Plin. Nat. Hist. libro XXVI, cap. 8.*

*

Is Hippocrates, cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus Dei, qui auxiliatus esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque, ut Varro apud nos credit, jam templo cremato, instituisse medicinam hanc, quæ Clinice vocatur. *Idem libro XXX, cap. 2.*

*

Æmilianum quoque Scipionem Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa a Manilio consule, tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis. *Idem libro XXII, cap. 6.*

*

Varro scribit, Sicinium Dentatum, centies & vicies pugnasse singulari certamine, cicatrices habuisse adversas quadraginta quinque, post tergum nullam, coronas accepisse XXVI, armillas CXL, & istum primum sacrum fecisse Marti. *Fulgent. de prisco sermone.*

*

Ptolemæum Varro tradit, Pompejo res gerente circa Judæam, octona millia equitum sua pecunia toleravisse: mille convivas, totidem aureis poculis, mutantem vasa cum ferculis, saginasse. *Plin. libro XXXIII, cap. 47.*

*

Varro & æreum ſignum Mentoris habuiſſe ſe ſcripſit. *Plin. ibid. cap.* 33.

*

Marcus Varro tradit, ſibi cognitum Romæ Poſim nomine, a quo facta poma & uvas, ut non poſſes aſpectu diſcernere a veris.

Idem magnificat Arceſilaum, L. Luculli familiarem, cujus proplaſmata pluris venire ſolita artificibus ipſis, quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem genetricem in foro Cæſaris, & priuſquam abſolveretur, feſtinatione dedicandi poſitam.

Deinde eidem a L. Lucullo HS. LX ſignum Felicitatis locatum, cui mors utriuſque inviderit. Octavio, Equiti Romano, cratera facere volenti, exemplar e gypſo factum talento.

Laudat & Paſitelem, qui plaſticen matrem ſtatuariæ ſculpturæque & cælaturæ dixit: & cum eſſet in omnibus his ſummus, nihil unquam fecit, antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Etruriæ: Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuiſſe, & ideo miniari ſolitum: fictiles in faſtigio templi ejus quadrigas, de quibus ſæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe retinet. *Plin. libro XXXV, cap.* 45.

Ante hanc ædem (Cereris) Tuſcanica omnia in ædibus fuiſſe, auctor eſt M. Varro. Ex hac cum reficeretur, cruſtas parietum exciſas, tabulis marginatis incluſas eſſe. *Ibidem, ut & ſequentia.*

*

Agoracritus ea lege ſignum ſuum vendidiſſe dicitur, ut Athenis eſſet, & appellaſſe Nemeſin. Id poſitum eſt Rhamnunte, pago Atticæ, quod M. Varro omnibus ſignis prætulit.

*

Fuere & Theſpiades ad ædem Felicitatis, quarum unam amavit Eques Romanus Junius Piſciculus, ut tradit Varro.

Archeſilaum quoque magnificat Varro, cujus ſe marmoream habuiſſe leænam tradit, aligeroſque cum ea ludentes Cupidines: quorum alii religatam tenerent, alii e cornu cogerent bibere, alii calcearent ſoccis, omnes ex uno lapide. Idem & a Coponio XIII nationes, quæ ſunt circa Pompejum, factas auctor eſt.

*

Varro auctor eſt, Titium quendam prætura functum, marmorei ſigni faciem habuiſſe propter vitiligines. *Plin. XXXI, cap. 8.*

*

Proprium ejuſdem, (Polycleti) ut uno crure inſiſterent ſigna excogitaſſe, ut ait Varro. *Plin. lib. XXXIV, cap. 19.*

*

Varro ſimplicia in Italia fuiſſe nomina ait, exiſtimationiſque ſuæ argumentum refert, quod Romulus, & Remus, & Fauſtulus, neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. *Julius Paris in Epitome Val. Maximi de Prænominibus.*

*

Gentilium nomina Varro putat fuiſſe, & prænomina numero circa triginta. *Ibidem.*

*

Anci prænomen Varro a Sabinis translatum putat. *Ibidem.*

*

M. Varro tradit, in Sarranorum familia gentilitium eſſe, feminas linea veſte non uti. *Plin. Hiſt. Nat. libro XIX, cap. 2.*

*

Varro ſcribit, eum, qui primus Varro ſit appellatus, in Illyrico hoſtem Varronem nomine rapuerat, & equitem ad ſuos pertulerat, id cognomen ex inſigni facto meruiſſe. *Serv.*

*

Tradidit Varro, Servium Clodium, Equitem Romanum, magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxiſſe, & poſtea caruiſſe ſenſu omni æque, quam dolore, in ea parte corporis. *Plin. libro XXV, cap. 7.*

*

Manium Maximum & M. Tullium Equites Romanos binûm cubitorum fuiſſe, auctor eſt M. Varro. *Idem libro VII, cap. 16.*

*

Corpore veſco, ſed eximiis viribus, Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque ejus militem magni Pompei & rectos & tranſverſos cancellatim toto corpore habuiſſe nervos, in brachiis etiam manibuſque, auctor eſt Varro in prodigioſa virium relatione. Atque etiam hoſtem ab eo ex provocatione dimicantem, inermi dextra uno digito ſuperatum, & poſtremo corre-

ptum, in caſtra translatum. *Idem libro VII, cap. 19. & Solinus in Polyhiſtore.*

*

Fuiſſe, qui pervideret CXXXV M. paſſuum. Huic & nomen M. Varro indidit, Strabonem vocatum. Solitum autem Punico bello a Lylibæo Siciliæ promontorio, exeunte claſſe Carthaginis portu, etiam navium numerum dicere. *Ibid. cap. 21.*

*

Varro auctor eſt, Quindecimviris agros dividentibus Capuæ, quendam, qui efferretur feretro, domum remeaſſe pedibus. Hoc idem Aquini accidiſſe. Romæ quoque Corfidium materteræ ſuæ maritum, funere locato revixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum. E duobus fratribus equeſtris ordinis Corfidio majori accidiſſe, ut videretur exſpiraſſe, apertoque teſtamento, heredem recitatum minorem funeri inſtitiſſe. Interim eum, qui videbatur exſtinctus, plaudendo conciviſſe urbis ſuæ miniſteria, & narraſſe, a fratre ſe veniſſe, commendatam ſibi filiam ab eo. Demonſtratum præterea, quo in loco defodiſſet aurum, nullo conſcio, & rogaſſe, ut iis funeribus, quæ comparaſſet, efferretur. Hoc eo narrante, fratris domeſtici propere annuntiavere exanimatum illum: & aurum, ubi dixerat, repertum eſt. *Ibid. cap. 53.*

*

Varro unum dicit eſſe Penates & magnos Deos. *Serv. in III Æneidos.*

Varro & Attejus contra ſentiunt, dicentes, Di-

vos perpetuos, Deos, qui propter ſui conſecrationem timentur. *Idem in V Æneid.*

*

Varro tradit, Pilumnum quendam in Italia fuiſſe, qui pinſendis præfuit hordeis, unde & Pilumni, & Piſtores. Ab hoc ergo pilum & pilam inventa, quibus far pinſitur, & ex ejus nomine appellata. *Iſidor. libro VII.*

*

Varro ait, quod ex reſponſo ſui oraculi in viis publicis, verbis ſuis Athenienſes ſtatutis altaribus ſacrificare Apollini inſtituerunt, & Ægylæum appellavere. *Porph. in Carmina Horat.*

*

Varro ait Græcum hunc eſſe morem (aperto capite ſacrificandi Herculi), quia ſive ipſe, ſive ab eo relicti, qui aram maximam ſtatuerunt, Græco ritu ſacrificaverunt. *Macrob. libro III.*

*

Quam (Fatuam Faunam) Varro filiam Fauni tradidit adeo pudicam, ut extra γυναικονιτην nunquam ſit egreſſa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec a viro viſa ſit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur. *Idem libro I. & Lactant.*

*

Dominam proprie Matrem Deûm dici, Varro & ceteri affirmant. *Serv. in III Æneidos.*

*

Varro Erebo natam Noctem ait. *Feſt.*

*

Talaſſionem in nuptiis Varro ait ſignum eſſe la-

nificii. τάλαρον, id eſt, quaſillum, ſolitum appellari Talaſſionem. *Idem.*

*

Lanam cum colo & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata eſt, in templo Sangi duraſſe, prodente ſe, auctor eſt M. Varro: factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat uſus. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta, & fuſus cum ſtamine. *Plin. libro VIII, cap. 74.*

*

Ut Varro dicit, Æolus rex fuit inſularum, ex quarum nebulis, maxime fumo Vulcaniæ inſulæ, quod prædicebat futura flabra ventorum, imperitis viſus eſt ventos in ſua poteſtate retinere. *Serv. & Iſidor. lib. XIV.*

*

Phorcys, ut dicit Varro, rex fuit Corſicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuiſſet victus & obrutus, finxerunt ſocii ejus, in Deum marinum eſſe converſum. *Idem.*

*

In foliis palmarum Sibyllam ſcribere ſolere, Varro teſtatur. *Idem in III Æneidos.*

*

Dicit Varro, Erythræam creditam ſcripſiſſe, quia poſt incenſum Apollinis templum, in quo fuerint libri, apud Erythram inſulam ipſa inventa ſunt carmina. *Idem in VI Æneidos.*

*

Ut poetæ invocent Nymphas, hanc rationem

Varro dicit, quod ipsæ ſint Nymphæ, quæ & Muſæ. *Idem.*

*

Secundum Varronem tres ſunt Muſæ : una, quæ ex aquæ naſcitur motu; altera, quam aeris icti efficit ſonus; tertia, quæ mera tantum voce conſiſtit. *Idem.*

*

Varro dicit, civitatem, neſcio quam, (neque enim recordor nomen) locaſſe apud tres artifices terna ſimulacra Muſarum, quæ in templo Apollinis Deo poneret, ut, quiſquis artificum pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimum electa emeret. Itaque contigiſſe, ut opera ſua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, & placuiſſe civitati omnes novem, atque omnes emtas eſſe, ut Apollinis templo dicarentur, quibus poſtea dicit Heſiodum poetam impoſuiſſe vocabula. Non ergo, ait, Juppiter novem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas fecerunt. Tres autem non propterea civitas illa locaverat, quia in ſomnis eas viderat, aut tot ſe cujuſquam illorum oculis demonſtraverant, ſed quia facile erat animadvertere omnem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe natura: aut enim editur voce, ſicut eſt eorum, qui faucibus ſine inſtrumento canunt; aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum; aut pulſu, ſicut in cytharis, & tympanis, & quibuſdam aliis, quæ percutiendo ſonora fiunt. *Auguſtin. de Doctrina Chriſtiana libro II, cap. 17.*

*

Ut Athenæ vocarentur, quod certe nomen a Minerva eſt, quæ Græce Ἀθηνᾶ dicitur, hanc cauſam Varro indicat.

Cum apparuiſſet illic repente olivæ arbor, & alio loco aqua erupiſſet, regem prodigia iſta moverunt, & miſit ad Apollinem Delphicum ſciſcitatum, quid intelligendum eſſet, quidve faciendum. Ille reſpondet, quod olea Minervam ſignificaret, unda Neptunum, & quod eſſet in civium poteſtate, ex cujus nomine potius duorum Deorum, quorum ſigna illa eſſent, civitas vocaretur.

Iſto Cecrops oraculo accepto, cives omnes utriuſque ſexus (mos enim tunc in iiſdem locis erat, ut etiam feminæ publicis conſultationibus intereſſent) ad ferendum ſuffragium convocavit. Conſulta igitur multitudine, mares Neptuno, feminæ pro Minerva tulere ſententias: & quia una plus eſt inventa feminarum, Minerva vicit.

Tunc Neptunus iratus, maris fluctibus exæſtuantibus, terras Athenienſium populatus eſt, quoniam ſpargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non eſt. Cujus ut iracundia placaretur, triplici ſupplicio dicit idem auctor ab Athenienſibus affectas eſſe mulieres: ut nulla ulterius ferrent ſuffragia, ut nullus naſcentium maternum nomen acciperet, ut ne quis eas Ἀθηναίας vocaret. *Auguſt. de Civitate Dei libro XVIII, cap. 9. ubi etiam ſequentia leguntur.*

*

Nec Areopagon vult inde accepiſſe nomen, quod Mars, qui Græce Ἄρης dicitur, cum homicidii cri-

mine reus fieret, judicantibus duodecim Diis, in eo pago ſex ſententiis abſolutus eſt, quia ubi paris numeri ſententiæ fuiſſent, præponi abſolutio damnationi ſolebat. Sed contra iſtam, quæ multo eſt amplius celebrata, opinionem, aliam quandam de obſcurarum notitia literarum, cauſam nominis hujus conatur adſtruere, ne Areopagon Athenienſes de nomine Martis & pagi, quaſi Martis pagum nominaſſe credantur: in injuriam videlicet numinum, a quibus litigia vel judicia exiſtimat aliena, non minus hoc, quod de Marte dicitur, falſum eſſe aſſeverans, quam illud, quod de tribus Deabus, Junone ſcilicet, & Minerva, & Venere, quæ pro malo aureo adipiſcendo apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certaſſe narrantur. *libro XVIII, cap. 10.*

*

Hoc Varro ut adſtruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa formoſiſſima Circe, quæ ſocios quoque Ulyſſis mutavit in beſtias, & de Arcadibus, qui, ſorte ducta, tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi convertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta vivebant: ſi vero carne veſcerentur humana, rurſus poſt novem annos, eodem renatato ſtagno, reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expreſſit quendam Demænetum, cum guſtaſſet de ſacrificio, quod Arcades, immolato puero, Deo ſuo Lycæo facere ſolerent, in lupum fuiſſe mutatum, & anno decimo in figuram propriam reſtitutum, ad pugillatum ſe exercuiſſe, &

Olympico viciſſe certamine. *Plin. lib. VIII, cap. 34. Aug. de Civit. Dei lib. XVIII, cap. 17.*

Nec idem propter aliud arbitratur ab hiſtoricis in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycæo, & Jovi Lycæo, niſi propter hanc in lupos hominum mutationem : quod eam, niſi vi divina, fieri non putarent. Lupus enim Græce λύκος dicitur, unde λυκαίου nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos ex illorum myſteriorum veluti ſemine dicit exortos. *Ibidem.*

*

Omnis ager, ut Varro docet, quadrifariam dividitur. Aut enim arvus eſt ager, id eſt, ſationalis, aut conſitus, id eſt, aptus arboribus, aut paſcuus, qui herbis tantum aut animalibus vacat, aut floreus, in quo ſunt horti apibus congruentes & floribus. *Servius in I Georgicorum, & Iſidor. lib. XV.*

*

A ſolo Italico Liburnia Iſtriaque diſcretæ ſunt centenis millibus paſſuum, quod diſtat ab Epiro & Illyrico quinquaginta millia, ab Africa intra ducenta millia, ut Varro commemorat, ab Sardinia centum viginti, a Sicilia mille quingentis, a Corſica minus ſeptuaginta, ab Iſſa quinquaginta. *Plin. lib. III, cap. 6. & Martian. Capel. lib. VI Philologiæ.*

*

Circuitus totius Ponti vicies ſemel centenis quinquaginta millibus, ut Varro quoque non reticet, quia dicit, Europæ totius longitudinem habere ſexagies ter triginta ſeptem millia, paſſuſque quingentos. *Martian. Capel. ibidem.*

*

Varro ad hunc modum metitur: Ab oſtio Ponti Apolloniam CLXXXVII M. D. paſſuum. Calatim tantundem. Ad oſtium Iſtri CXXV, ad Boryſthenem CCL M. Cherſoneſum Heracleotarum oppidum CCCLXXV M. paſſuum. Ad Panticapæum, quod aliqui Boſphorum vocant, extremum in Europæ ora, CCXII M. D. quæ ſumma efficit XIII. XXXVII M. D. *Plin. lib. IV, cap. 24.*

*

Dicta Libya, quod inde Lybs flat, hoc eſt, Africanus, vel ut Varro ait, quaſi *λειπουσα τοῦ ὕειν*, id eſt, egens pluviæ. *Serv. in I Æneidos.*

*

Inſulam Samum prodit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupſerit. *Lactant. libro I, cap. 17.*

*

Coos inſula adjacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus eſt, quæ, ut Varro teſtis eſt, arte lanificii prima in ornamento feminarum inclaruit. *Iſidor. lib. XV, & Plin. lib. XXIX, cap. 2. Solinus in Polyhiſt.*

*

In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet inſula, Italiæ umbilicum eſſe, M. Varro tradit. *Plin. lib. III, 17. Solin. in Polyhiſt.*

*

A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata, in tres ſinus recedens Auſonii maris: quoniam Auſones tenuere primi: patet octoginta ſex

millia paſſuum, ut auctor eſt Varro, plerique LXXV M. fecere. *Plin. lib. III, cap. 15.*

*

M. Varro, octoginta novem civitates eo (ad conventum Salonæ) ventitaſſe, auctor eſt. *Ibid. cap. 26.*

*

Œnotria (ut Varro dicit) ab Œnotro rege Sabinorum. *Serv. in I Æneidos.*

*

Varro Latium dici putat, quod latet Italia inter præcipitia Alpium & Apennini. *Idem in VIII Æneidos.*

*

Palatinus mons, ſecundum Virgilium, a Palante, avo Evandri, eſt dictus: ſecundum Varronem & alios a filia Evandri Pallantia, ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta: vel certe a Pallante ejus filio illic ſepulto. *Ibidem.*

*

Ut affirmat Varro auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus & Rhea Sylvia. *Solinus in Polyhiſtore.*

*

Ruminalem ficum appellatam, ait Varro, a majoribus, quod ſub ea arbore lupa mammam Remo & Romulo dederit. *Feſtus.*

*

Varro, poſt roſtra fuiſſe ſepulcrum Romuli, dicit. *Porphyr. in Horat.*

*

Ubi cœpit (mare Caſpium) in latitudinem pan-

di, lunatis obliquatur cornibus, velut ad Mæotium lacum ab ore descendens, silicis, ut auctor est M. Varro, similitudine. *Plin. lib. VI, cap. 15.*

*

Haustum ipsius maris (Scythici) dulcem esse & Alexander Magnus prodidit, & M. Varro, talem perlatum Pompejo, juxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale. Adjicit idem, Pompei ductu exploratum, in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat: & ex eo per Caspium in Cyrum subvectas quinque non amplius dierum terreno itinere, ad Phasin in Pontum Indicas posse devehi merces. *Ibidem, cap. 19. & Solin. in Polyhist.*

*

Ab Minio, quem supra diximus, CC M. passuum (ut auctor est Varro) abest Æminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant. *Plin. lib. IV, cap. 35.*

*

XIV M. passuum inde ad Pyrenæum medium colligi, Varro tradit. *Ibidem.*

*

Vult Varro, Icarum Cretem ibi (in mari Icario) naufragio periisse, & de exitu hominis impositum nomen loco. *Solin. in Polyhistore.*

*

Erythræum mare, ab Erythro rege, Persei & Andromedæ filio, non solum a colore appellatum, Varro dicit, qui affirmat, in litore maris istius fontem esse, quem si oves biberint, mutent vellerum

qualitatem, & antea candidæ amittant quod fuerint usque ad haustum, ac fulvo postmodum nigrescant colore. *Ibidem.*

*

Varro auctor est, perflabilem ibi terram (in Syrtibus Africæ) ventis penetrantibus subitam vim spiritus citissimi aut removere maria, aut resorbere. *Ibidem.*

*

Varro cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tribus primis ejus terræ fluminibus Rhodanum ponit. *A. Gell. libro X, cap. 7.*

*

Varro dicit, Timavum fluvium ab incolis mare nominari. *Serv. in I Æneidos.*

*

Varro dicit, lacum Velinum a Curtio Cos. in Nartem & Narem fluvium derivatum: nam utrumque dicitur esse divisum: post quod tanta secuta est eo loco fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superaret herbarum. quin etiam quantum per diem demtum esset, tantum per noctem crescebat. *Serv. in I Georgic.*

*

In Syriæ fonte juxta Taurum montem (aquam calculosis mederi) auctor est M. Varro. *Plin. lib. XXXI, cap. 5.*

*

In Cilicia apud oppidum Cescum rivus fluit Nûs, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri Varro tradit. At in Cea insula fontem esse, quo hebetes fi-

ant: Zamæ in Africa, quo canoræ voces. Vinum in tædium venire his, qui ex Clitorio lacu biberint. *Plin. eodem libro*, *cap. 12.*

*

Varro ait, aves, quæ evolaverint (ex Averno) emori. *Ibidem*, *cap. 18.*

*

Varro ad Soracten ſcripſit eſſe fontem, cujus ſit latitudo quatuor pedum. Sole oriente eum exundare ferventi ſimilem, aves, quæ guſtaverint, juxta mortuas jacere. *Ibidem*, *cap. 19.*

*

Varro perhibet, fontem in Arcadia eſſe, cujus perimat hauſtus. *Solinus in Polyhiſtore.*

*

Varro opinatur, duo in Bœotia eſſe flumina, natura licet diſpari, miraculo tamen non diſcrepante: quorum alterum ſi ovillum pecus debibat, pullum fieri coloris quem induerit, alterius hauſtu, quæcunque vellera fuſca ſunt, in candidum verti. Addit etiam, videri ibi puteum peſtilentem, cujus liquor mors eſt haurientibus. *Ibidem.*

*

Circejus mons quondam, ut Varro dicit, inſula fuit, nondum ſiccatis paludibus, quæ eam dividebant a continenti. *Serv. in III Æneidos.*

*

Varro dicit, ſub Eryce monte eſſe infœcundum campum fere in tribus generibus, in quo Eryx & Hercules dimicaverunt. *Idem in V Æneidos.*

*

Varro ait, apud Ægyptios pro annis menſes ha-

beri, ut non Solis per XII ſigna circuitus faciat annum, ſed Lunæ, quæ illum ſigniferum orbem XXX dierum ſpatio illuſtrat. *Lactant. lib. II.*

⁂

Ætas annorum LXV eſt etiam Comicorum ſenum, ut Varro teſtatur. *Donat. in Terentium.*

⁂

Solidæ noctis partes ſecundum Varronem hæ ſunt: Veſpera, Conticinium, Intempeſta nox, Concubium, Gallicinium: Lucifer diei, Mane, Ortus, Meridies, & Occaſus. *Serv. in II Æneidos.*

⁂

Ætates Varro ſic dividit: Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Juventam, Senectutem. *Idem, in V Æneidos.*

⁂

Varro quinque gradus ætatis æquabiliter putat eſſe diviſos, unumquemque ſcilicet præter extremum in annos quindecim. Itaque primo gradu uſque ad annum quintum decimum, Pueros dictos, quod ſint puri, id eſt, impubes: ſecundo ad triceſimum annum Adoleſcentes, ab aleſcendo ſic nominatos. In tertio gradu qui erant, uſque quinque & quadraginta annos, juvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari poſſent juvare: in quarto autem aduſque ſexageſimum annum, Seniores eſſe vocitatos, quod tum primum ſeneſcere corpus incipiat. Inde uſque finem uniuſcujuſque quintum gradum factum, in quo qui eſſent, Senes appellatos, quod ea ætate corpus ſenio jam laboraret. *Cenſorin. de Die natali, ubi etiam ea, quæ ſequuntur, recitat.*

*

Libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus deſcribi, Varro commemorat, quæ duo ad decies ſeptenos annos poſſet fatalia deprecando rebus divinis proferri: ab anno autem octuageſimo nec poſtulari debere, nec poſſe ab Diis impetrari. Ceterum poſt annos octoginta quatuor, a mente ſua homines abire, neque his fieri prodigia.

*

In Tuſcis hiſtoriis, quæ octavo eorum ſeculo ſcriptæ ſunt, ut Varro teſtatur, & quot numero ſecula ei genti data ſint, & tranſactorum ſingula quanta fuerint, quibuſve oſtentis eorum exitus deſignati ſint, continetur.

*

Fieri poteſt, quod refert Varro, quodque Dioſcorides aſtrologus ſcripſit: Alexandriæ inter eos, qui mortuos ſolent conſervare, conſtare, hominem plus centum annis vivere non poſſe. Id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt ſine corporis tabe: eo quod id multis annis pendendo omnis ætatis incrementa & diminutiones obſervant: & anniculi pendere duas drachmas; bini, quatuor; & ſic annos ſingulos, uſque ad quinquaginta, accedere binas; ab iis centum drachmis, atque anno quinquageſimo item diſcedere in unoquoque binas. Ex quo perſpicuum fit, centeſimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam poſſe produci. *Idem.*

*

Varro tria diſcrimina temporum eſſe tradit: pri-

mum, ab hominum principio ad cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur adelon: ſecundum, a cataclyſmo priore ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, mythicon nominatur: tertium, a prima Olympiade ad nos, quod dicitur hiſtoricon, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. *Idem.*

His temporibus, ut Varro, regnante Athenienſibus Cranao, ſucceſſore Cecropis, diluvium fuit, quod appellatur Deucalionis, eo quod ipſe regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum eſt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 10.*

*

Varro dixit, in diluvio aliquos confugiſſe in montes cum utenſilibus, qui bello poſtea laceſſiti ab iis, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis ſuperioribus vicerunt: unde factum, ut Dii ſuperiores dicerentur, Inferiores vero terrigenæ, qui, quia ex humillimis ad ſumma reptabant, dicti ſunt pro pedibus habuiſſe ſerpentes. *Serv.*

*

Varro Romanos a Latinis nomina menſium accepiſſe arbitratur. Auctores eorum antiquiores, quam urbem, fuiſſe, ſatis argute docet. Itaque Martium menſem a Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuit pater, ſed quod gens Latina bellicoſa: Aprilem autem non ab Ἀφροδίτῃ, ſed ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur, & naſcendo clauſtra aperiat natura: Majum vero non a majoribus, ſed a Maja nomen accepiſſe, quod eo menſe tam Romæ, quam antea in Latio, res di-

vina Majæ fit & Mercurio: Junium quoque a Junone potius, quam a junioribus, quod illo menſe maxime Junoni honores habeantur: Quintilem, quod loco jam apud Latinos fuerit quinto: item Sextilem, & deinceps ad Decembrem, a numeris appellatos: ceterum Januarium & Februarium poſtea quidem additos, ſed nominibus item ex Latio ſumtis; & Januarium ab Jano, cui attributus eſt, nomen traxiſſe, Februarium a Februo. *Cenſor. de Die natali.*

*

Cincio etiam Varro conſentit, affirmans, ſub regibus nec Latinum nomen Veneris, nec Græcum fuiſſe, & ideo non potuiſſe menſem a Venere nominari. *Macrob. lib. I Saturnalium cap. 12.*

*

A Servio Tullio nundinas inſtitutas Varroni placet. *Ibidem, cap. 13.*

*

Antiquiſſimam legem fuiſſe inciſam in columna ærea a L. Pinario & Furio Coſſ. cui mentio intercalaris inſcribitur. *Ibidem.*

*

Ut Idus omnes Jovi, ita omnes Kalendas Junoni tributas. *cap. 15.*

*

Inſtauratitius dies a redintegratione, ut Varroni placet, qui inſtaurare ait eſſe, inſtar novare. *lib. I, c. 11.*

*

Floralium, non Floraliorum, ait Varro, cum non ludos Florales, ſed ipſum feſtum Floralia ſignificaret. *lib. I, cap. 4.*

*

Feralium diem, ait Varro, a ferendis in ſepulcra epulis dici. *lib. I, cap. 4.*

*

Mundus cum patet, Deorum triſtium atque inferorum quaſi janua patet: propterea non modo prœlium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberûm quærendûm cauſa ducere, religioſum eſt. *cap. 16.*

*

Ad rem ſane militarem nihil attinere notat Varro, utrum faſtus an nefaſtus dies ſit, ſed ad ſolas hoc actiones reſpicere privatas. *Idem, ibidem.*

*

Verrium Flaccum juris pontificii peritiſſimum dicere ſolitum, refert Varro, quia feriis tergere veteres foſſas liceret, novas facere jus non eſſet, ideo magis viduis, quam virginibus, idoneas eſſe ferias ad nubendum. *Idem, ibidem.*

*

Sciendum ſecundum Varronem, contra religionem eſſe, vel ſi irrigentur agri, vel laventur animalia feſtis diebus. Nymphæ enim ſine piaculo non poſſunt moveri. *Serv. I Georg.*

*

Hoc tempus (Robigalia) Varro determinat, ſole Tauri partem decimam obtinente. *Plinius Hiſt. Nat. libro XVIII, cap. 69. & quæ ſequuntur.*

*

Hunc diem (Floralia) Varro determinat, ſole Tauri partem quartam decimam obtinente.

*

Ea (vinalia secunda) Varro a Fidicula incipiente occidere mane determinat, quod vult initium auctumni esse, & hunc diem festum leniendis tempestatibus esse institutum.

*

Varro auctor est, si Fidiculæ occasu, quod est initium auctumni, uva picta consecretur inter vites, minus nocere tempestates.

*

Eas ferias (in terræ motu) si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem remotus esset, hostiam *si Deo*, *si Deæ* immolabat: idque ita ex decretis pontificum observatum esse, M. Varro dicit, quoniam & qua vi, & per quem Deorum Dearumve terra tremeret, incertum esset. *A. Gell. lib. II, c. 28.*

*

Varro dicit, ludos a ludo vocatos, quod juvenes per dies festos solebant ludi exsultatione delectare populum. *Isidor. lib. XVIII.*

*

Taurios ludos Varro ait vocari, quod *eis ludis discipulus* pendens a doctore in cr*udo corio tauri* solitus sit impelli, atque usque eo *inibi cogi* docere, quoad consisteret, *& sola virtute* talorum constaret pedum *firmitas*. Festus.

*

M. Varro primum statutum in publico [horologium] secundum rostra in columna tradit, belli Punici primo, a M. Valerio Messala Cos. Catina capta in Sicilia. *Plin. lib. VII, cap. 60.*

*

Tribunus plebis quidam, ut ait Varro, Romæ nomen auſus enuntiare, in crucem ſublatus eſt. *Servius in I Æneidos.*

*

Capita aperiri adſpectu magiſtratuum, non venerationis cauſa juſſere, ſed, ut Varro auctor eſt, valetudinis, quoniam firmiora conſuetudine ea fierent. *Plin. lib. XXVIII, cap. 17.*

*

Varro dicit, mulieres in exſequiis & luctu ideo ſolitas ora lacerare, ut, ſanguine oſtenſo, inferis ſatisfaciant. *Serv.*

*

Varro dicit, pyras ideo cupreſſo circumdari, propter gravem uſtrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumſtantis corona. *Ibidem.*

*

Varro ideo faba flaminem Dialem non veſci ſcribit, quoniam in flore ejus, literæ lugubres reperiantur. *Plin. lib. XVIII, cap. 30. & Porphyr. in Horatium.*

*

Varro ait, ſuſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis parentandum eſſe. *Serv.*

*

Confixos eſſe pueros in utero, Varro dicit, capite infimo nixos, ſurſum pedibus elatis, non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris: nam pedes cruraque, arboris appellat ramos; caput ſtirpem atque caudicem.

Quando igitur, inquit, contra naturam forte converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent : ægriuſque tunc mulieres enituntur. *A. Gell. lib. XVI, cap. 16.*

*

M. Varro aſſeverat, antiquiſſimos viros neque per Caſtorem, neque per Pollucem dejerare ſolitos, ſed id jusjurandum fuiſſe tantum feminarum, ex initiis Eleuſiniis acceptum. Paulatim tamen inſcitia antiquitatis viros Ædepol dicere cœpiſſe, factumque eſſe ita dicendi morem: ſed Me Caſtor a viro dici, in nullo vetere ſcripto inveniri. *Idem lib. XI, cap. 6.*

*

Romæ antiquitus ſtatuam Martis fuiſſe haſtam, dicit hiſtoricus Varro. *Clemens Alexandr. in Protreptico.*

*

Varro dicit, divinationis eſſe quatuor genera, Terram, Aquam, Aerem & Ignem. Hinc Geomantiam, Hydromantiam, Aeromantiam, Pyromantiam dictam. *Iſidor. lib. VIII, & Joannes Sarisber. in Policratico lib. I.*

*

Ignem mundi animum dicit: proinde quod in mundo ignis omnia gubernet, ſicut animus in nobis. Quam vaniſſime, qui cum eſt, inquit, in nobis, ipſi ſumus; cum exit, emorimur. Ergo & ignis cum de mundo per fulgura proficiſcitur, mundus emoritur. *Iſidor. ibidem.*

*

Animalia Varroni videntur elementa, quoniam per ſemetipſa, inquit, moventur. *Idem lib. XIII.*

*

Quidam illos (ventos) duodecim faciunt: quatuor enim cæli partes, in ternas dividunt, & ſingulis ventis binos ſuffectos dant. hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat. *Seneca Naturalium Quæſtionum lib. V.*

*

In Chium vinum marina non additur: inde inſtitutum tradit Varro, ut Delphini circa Liberum pingerentur. *Porphyr. in Horatium.*

*

Varro ait, opima ſpolia etiam eſſe, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium. *Feſt.*

*

Lemniſcatæ coronæ ſunt de frondibus & diſcoloribus faſciis, &, ſicut Varro dicit, magni honoris ſunt. *Serv. in V Æneid.*

*

Talentum Atticum, ut ait Varro, XVI ſeſtertiis taxatur. *Plin. lib. XXXV, cap. 40.*

*

Varro etiam pulmentarii vice uſos veteres ſale auctor eſt: & ſalem cum pane eſitaſſe eos, proverbio apparet. *Idem libro XXXI, cap. 41.*

*

M. Varro auctor eſt, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, aſſibus ſingulis farris modios fuiſſe: item vini congios, ficique ſiccæ pondo XXX, olei pondo X, carnis pondo XII. *Idem libro XVIII, cap. 4.*

*

Varro dicit, vela ſolere ſuſpendi, ad excipiendum pulverem, quia uſus cameræ ignorabatur. *Serv. in I Æneid.*

*

Varro de Ilva dicit, naſci quidem illic ferrum; ſed in ſtricturam non poſſe cogi, niſi tranſvectum in Populoniam, Tuſciæ civitatem. *Idem in X Æneidos.*

*

M. Varro auctor eſt, a cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum, a talpis in Theſſalia, a ranis civitatem in Gallia pulſam, a locuſtis in Africa; ex Gyaro Cycladum inſula incolas a muribus fugatos; in Italia Amyclas a ſerpentibus deletas. *Plin. libro VIII, cap. 43.*

*

Quem lapidem (Parium) cœpere lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor eſt Varro. *Idem lib. XXXVI, cap. 4.*

*

Varro nigros lapides ex Africa firmiores eſſe tradit, quam in Italia. E diverſo, albos tornis duriores, quam Parios. Idem Lunenſem ſilicem ſerra ſecari; at Tuſculanum diſſilire igni. Sabinum fuſcum addito oleo etiam lucere. *Ibidem, cap. 29.*

*

Donec Pompejus Magnus eam (dactyliothecam) quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejuſdem ætatis auctores confirmant. *Idem lib. XXXVII, cap. 5.*

*

Et hanc (papyrum) Alexandri Magni victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antea non fuisse chartarum usum: in palmarum foliis primo scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris.

Ne terra quidem ipsa, quæ nunc Ægyptus, intelligitur: (cum in Sebennytico saltem ejus nomo nonnisi charta nascatur:) postea adaggerata Nilo. Siquidem a Pharo insula, quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur, noctis dieique velifico navigii cursu terram fuisse prodidit. Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. *Idem lib. XIII, cap. 21.*

*

M. Varro, coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam servari æstate putat. *Idem libro XX, cap. 82.*

*

Voci eam (fabam) prodesse auctor est M. Varro. *Idem libro XXII, cap. 69.*

*

Varro suadet (contra sternutamenta) palmam alterna manu scalpere. *Idem lib. XXVIII, cap. 15.*

*

M. Varro noster tradit, murinum fimum, quod item muscerdas appellat. *Idem lib. XXIX, cap. 34.*

*

M. Varronem LXXXVIII vitæ anno prodidiſſe aſpidum ictus efficaciſſime curari, hauſta a percuſſis ipſarum urina. *Ibidem, cap. 18.*

*

Verrucas curari auro, M. Varro auctor eſt. *Idem lib. XXXIII, cap. 25.*

*

Farina ervi, ut ait Varro, maculas ex toto corpore emendat. *Idem libro XXII, cap. 73.*

*

Adverſus ipſam mutationem locorum, detractis certis incommodis, quæ exſilio adhærent, ſatis hoc remedii putat Varro, doctiſſimus Romanorum, quod quocunque venimus, eadem rerum natura utendum ſit. *Seneca in Conſolatione ad Helvidiam matrem.*

*

Indigitamenta, ſunt carmina pontificum, quæ & nomina Deorum, & rationes ipſorum nominum continent. *Feſt.*

*

Bulbi in legitimis nuptiis in cœna ponuntur: ſed & cum nucleis pineis, aut cum erucæ ſucco, & pipere.

*

Betaceos, ſed nigros, quorum deterſas radices, & mulſo decoctas, cum ſale modico & oleo: vel ſale, aqua & oleo in ſe coques, juſculum facies, & potabis: melius erit, ſi in eo pullus ſit decoctus.

*

Sus Minervam. *Feſt.*

*

Mezentius Hetruriæ rex auxilium Rutulis contra Latinos tulit, vini mercede, quod tum in Latino agro fuerat. *Plin. libro XIV*, *cap.* 14.

*

Non tantum maribus ineſt ſemen, verum etiam feminis, & inde plerumque matribus ſimiles procreantur; ſed earum ſemen ſanguine eſt purgatum. quod ſi recte cum virili mixtum ſit, utraque concreta, & ſimul coagulata conformantur, & primum quidem cor hominis confingitur, quod in eo ſit & vita hominis, & ſapientia: denique totum opus quadrageſimo die conſummatur. *Lactant. de Opificio Dei*, *cap.* 12.

*

Cum ſemina inter ſe permixta coaleſcunt, ſi virile ſuperaverit, patri ſimilis provenit, ſive mas, ſive femina: ſi muliebre prævaluerit, progenies cujuſque ſexus ad imaginem reſpondet maternam. *Ibidem.*

*

Si vero æqua fuerit ex pari ſemine permixtio, figuræ quoque miſcentur, ut ſoboles illa communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex alieno non habet, aut utrumque, quia partem de ſingulis mutuata eſt. *Ibidem.*

*

Cum forte in lævam uteri partem maſculinæ ſtirpis ſemen inciderit, mas gignitur: ſed quia eſt in feminina parte conceptus, aliquid in ſe habet femineum ſupra quam decus virile patiatur, vel for-

mam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura.

Item si partem in dextram semen feminini sexus influxerit, femina quidem procreatur: sed quoniam in masculina parte concepta sit, habet in se aliquid virilitatis, ultra quam sexus ratio permittat, aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura.

Si vero masculinum in dextram, femininum in sinistram pervenerit, utrique fœtus recte proveniunt, ut & feminis per omnia naturæ suæ decus constet, & maribus tam mente, quam corpore robur virile servetur. *Ibidem.*

*

Grammatici officia constant partibus quatuor, Lectione, Enarratione, Emendatione & Judicio. *Diomed. lib. II.*

*

Sceleris magister amixit. *Idem lib. I.*

LECTORI.

Hæc sequentia fragmenta jure meritoque in ultimam classem fragmentorum Varronis rejecimus: nam nec quoad verba ipsa illius sunt, & alterius esse cuivis patet, neque ullos poetas legit, qui nescit, cujus sint: nos tamen superflua diligentia ea hic adscripsimus, ne videremur quidquam, quod vel errore memoriæ Varroni tribuitur, neglexisse.

EX CARMINE INCERTO.

Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi,
Et veluti inſolitum pinnis infundere rorem.
Aut arguta lacus circum volitavit hirundo,
Et bos ſuſpiciens cælum (mirabile viſu)
Naribus aerium patulis decerpſit odorem,
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.
Serv. in Virgilii I Georgicorum.

Frigidis & ſilvis aquilo decuſſit honorem. *Idem in lib. II.*

Deſierant latrare canes, urbeſque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.
Seneca lib. Controverſ. IV.

Xenophanes 221.
Carneades 309.9.
Zeno 306.277.
Epicurus 29.301
Cynici 291.
Xenocrates 261 282.300. Lucil. 90.28.9.27.10. Fest. v. Sarissa.
Heraclides Pont. 269.303.
Diogenes 206 300 311
Antipater stoic. 69.
Stoicorum principes 310
Pythag